

(P)

Q. F. F. F. Q. S.

QUÆSTIONES MEDICÆ DUODECIM,

AB

ILLUSTRISSIMIS VIRIS

R. D. PETRO RIDEUX DECANO Venerando, ANTONIO MAGNOL, HENRICO HAGUENOT, JACOBO LAZERME, ANTONIO FIZES, FRANCISCO DE SAUVAGES, Regis Consiliariis Medicis, & Professoribus Meritissimis.

PROPOSITÆ


IN AULA EPISCOPALI MONSPELIENSI coram Illustrissimo ac Venerabili D. D. FRANCISCO LE NOIR, Theologiæ Doctore, Canonico, Theologo, & Archidiacono majore Ecclesiæ Cathedralis Monspeliensis, Abbate Sancti Salvatoris Lodovensis, Vicario Generali & Officiali.

Pro Regiâ Cathedrâ vacante.

Per Obitum R. D. GERARDI FITZ-GERALD, Regis Consiliarii, Medici, & Professoris Meritissimi.

Quas, Deo favente, & auspice Dei-parâ, propugnabit in Augustissimo Monspeliensi Apollinis Fano, triduo integro; manè & serò, diebus 17, 18, *&* 19 *mensis Julii anni* 1749.

FRANCISCUS LAMURE, D. M. M.



MONSPELII,
Apud AUGUSTINUM-FRANCISCUM ROCHARD, Regis & Universitatis Medicinæ Typographum unicum. 1749.

DEO UNI ET TRINO, AC BEATÆ VIRGINI DEI-PARÆ,

D. D. D. C.

FRANCISCUS LAMURE, D. M. M.



QUÆSTIO PRIMA.

AN contractio musculi licèt constans & permanens a Paralysi sui Antagonistæ oriunda, sit vera convulsio, & eamdem therapeiam expostulet?



LURA supponit præcognita solutio quæstionis propositæ; etenim si quis hujus circumstantias omnes penitiùs rimetur, evidens fiet eam ritè intelligi non posse, nisi priùs accuraté, quantùm licet, determinentur sequentia, 1o. Quid musculi contractionis nomine veniat designandum, 2o. Quid proprié dici debeat convulsio, 3o. Quid sit Paralysis, 4o. Quamnam therapeiam illi bini morbi expostulent. iis omnibus præstabilitis, facile erit ex prægressis consequentiam deducere, quæ respondeat dato problemati. En itaque sponté fluit ordo dissertatiunculæ, quæ seorsim prædicta examinabit, & corollario ex iis deprompto concludetur.

1. Pars quæcumque mollis, hanc nacta fabricam, ut hujus ope tum solida, tum fluida moveri possint in humano corpore, musculus dicitur ab Anatomicis.

2. In musculo fermè omni, evidenter distinguitur pars mollior, rubicundior, quæ venter nuncupatur, pars altera firmiori textu, albicante prædita, quæ prout vel in funiculi vel in membranæ modum exporrigitur hinc & inde ad insertionis loca, tendo, vel aponeurosis appellatur.

3. Venter musculi, vel ruditer examinatus, exhibet congeriem fibrarum toti similium, membranâ communi cinctarum, propaginibus hujus membranæ a se invicem separatarum, inter se connexarum

ope filamentorum tranſverſalium, innumeris arteriis, venis, nervis admodùm incerto & vario reptatu ſerpentibus circumdatarum, ſucco oleoſo, quem textus cellularis immediatè circumpoſitus ſuppeditat, oblitarum.

4. Hæ, craſſiores adhucdùm viſæ, fibræ motrices audiunt apud Winſloum, ulteriori indagine in multò tenuiores ſeparandæ; etenim juxta Lewenhoekium a Kaau Boerhaave citatum, fibra muſculoſa, ſexto decuplo tenuior capillo, componitur iterum ex trecentis minoribus ſimillimis; tamen has eſſe ulteriùs indiviſibiles nemo prudens audebit (*a*) aſſerere.

5. Pars tendinea videtur exſurgere ex propagatis iiſdem fibris arctiori nexu coalitis, non æquè contortis ac in ventre; vaſis licèt tenuiſſimis, analogiâ tamèn & injectionibus Ruyſchii demonſtratis, ornata.

6. Muſculus tumens, protuberans, ſubpalleſcens, durior ad tactum factus, contrahi, agere, dicitur ab omnibus Anatomicis & Phyſiologis: enimverò immotis partibus, queis hujus tendones inſeruntur, phænomena mox enarrata, proinde contractionem poteſt exhibere muſculus; docet idem pro lubitu manens ſtatus partium, dum ſimultaneè & proportione debitâ earum omnes muſculi agunt imperante voluntate: hanc contractionem, verè muſcularem dicendam, exerit pars carnea ſeu venter, cujus motibus obſequi duntaxat videtur portio tendinoſa.

7. Muſculi fibræ quæcumque diſſectæ ſe ſe retrahunt hinc & inde cum impetu, plùs in vivo, minùs in mortuo; modò experimentum tentetur aliquamdiù poſt mortem animalis: ſi enim id fieret animali mox trucidato, adhuc velut ſpirantibus extis, tunc nullum diſcrimen obſervandum veniret; docuit multiplex experientia: inde cùm retractiones ſint tenſionibus proportionales, fibras muſculoſas perpetuò tenſas eſſe ex eo experimento deducitur; ergo perpetuò niti muſculum, ut juxta directionem ſui motùs moveat annexam partem; hinc Antagoniſtarum neceſſitas pateſcit, quibus ſublatis, evidens eſt omnem partis cujuſcumque mobilitatem ſublatum iri.

8. Sibi itaque continuò contranituntur Antagoniſtæ muſculi hâc vi elaſticâ, quæ a muſculari ſupradictâ penitùs diverſa eſt; cùm hæc aliquid ab extrinſeco muſculis ſuperveniens requirat ut exeratur; illa pendeat a ſimplici textu tenſorum ſolidorum, & locum habere poſſit in mortuis non ſecùs ac in viventibus.

(*a*) Plurimis experimentis evicit Muſſchenbroeck (apud Halæum hæmaſt. exper. 22.) fila tenuiora, cæteris paribus, eſſe quoque majoribus ponderibus ſuſtinendis aptiora: hinc mira Conditoris providentia demiranda venit, in tanta ſubtilitate impertiendâ fibris motricibus humani corporis.

11. Cùm

9. Cùm retractiones sint tensionibus proportionales, & in vivo plùs se retrahant fibræ, quàm in mortuo, positis conditionibus (7.) clarum est, earum tensionem esse majorem; hæc autem tensio excedens, a fluido transcurrente videtur unicè repetenda; unde tantò major erit, quantò, cæteris paribus, major fluidi copia; hinc fit, quòd ea notabilior observetur in vigilantibus, quàm in dormientibus, ut conjicere est ex aliquali flacciditate, quam exhibent membra dormientium pertractata, quæ certè tanta non observatur in experrectis, etiam animâ nullum jubente motum muscularem: hæc tensio vim elasticam intendens, fluidi transfluentis energiæ adscribenda, motus tonicus non inepté a quibusdam dicitur, medius quasi inter contractionem propriè elasticam & muscularem; ab illa diversus, quòd requirat vim superadditam liquoris decurrentis, ab ista, quód sufficiat ad ipsum producendum vel solita vis impellens fluida quaquavorsùm in humano corpore per canales liberos, quæ motui verè musculari inducendo prorsus impar est.

10. Ex dictis pronum est concludere, partem, cui musculus quivis annectitur, ab ipso trahendam efficaciter in triplici circumstantia. 1°. Quando, reliquis manentibus iisdem in Antagonistis, ad illum vis contractionem muscularem inductura deferetur, 2°. Quando manentibus iisdem in musculo, vis tonica imminuetur in oppositis, 3°. Quoties, energiâ elastici perstante in uno, in reliquis contranitentibus evanescet illa, aut multó minor fiet, ita ut efficacia musculi trahentis, respondeat directè intensitati causæ ipsum moventis, propriæ elasticitatis, & tonici motûs, & inversè energiæ motûs tonici, elasticitatis in opposito. Hinc patebit, quare a musculis vel nulla aut ferè nulla contractionis muscularis phænomena exhibentibus, tamen partes ipsis annexæ moveri queant, & in quanam circumstantia.

11. Ut musculus exerere queat actionem muscularem, requiritur integritas nervi ad ipsum tendentis, & quidem in toto hujus tractu ad usque originem; docet ineptitudo ad talem motum subsequens ligaturam, compressionem excisionem nervorum in suo decursu, aut in origine.

12. Nullum experimentum demonstrat necessitatem sanguinis per arterias appellentis ad musculum: imó contrarium suadent, quæ pluribus vicibus, & recentissimè coram plurimis instituimus. (*a*)

[*a*] Me coram & pluribus aliis Doctoribus Medicis & studiosis meritissimis profector dexterrimus & Anatomicus eximius D. Tandon, Doctor Medicus Monspeliensis, in cane ligavit arteriam iliacam, & soluto vinculis cane, observavimus eum paulò post stare quatuor pedibus & ritè incedere iis innixum; etiam observati fuerunt motus convulsivi æquè violenti in crure læso experimenti gratiâ

13. Ergo causa motûs muscularis, per nervum ad musculos defertur; hanc esse crediderim fluidum nerveum, subtilissimum, elasticum, aereum (*a*), motu leni putrefactorio in ultimis corticalis substantiæ tum cerebri & cerebelli, tum medullæ spinalis vasculis extricatum, inde in folliculos verisimiliter admittendos inter extrema hujus capillamenta & principium substantiæ medullaris delatum, ex quibus postea in universum systema nerveum diffundendum est. Hæc proponere circa fluidi nervei indolem sinunt angusti theseos limites, quam plurimis validisque ratiociniis comprobare vetant.

14. Quânam ratione effectus memoratos (6.) præstet, hujus loci

quàm in altero sano, quando strangulabatur animal mox expiraturum. Dissectione accuratâ certi fuimus facti, ex iliacâ, supra ligaturæ locum, nullum ramum arteriosum oriri; & insuper, ut ligaturarum arteriæ injectarum vis, exactè arctans canalem demonstraretur, eam infra ligaturas secueramus, absque vel minimo sanguinis effluxu. Majoris diligentiæ causâ, nervum ischiaticum dissecando prosecuti sumus ad usque ischiaticam incisuram, nilque reperimus, præter binas ramificationes venosas, quæ huic comites assidebant; prætereà, dissecuimus attenté arteriam hypogastricam; ex ea prodiens ramusculus unicus soli musculo obturatori interno surculos largiebatur.

2°. In cane alio demortuo, remotis intestinis, arteriam aortam prope divisionem in iliacas circumligavit acu filo trajectâ, & vidimus vix ac ne vix quidem posse talem ligaturam institui, absque eo quòd eàdem comprehenderentur plures funiculi nervei, quorum bini satis crassi tractum iliacæ sequebantur. Idem experimentum (primum) pluries privatim institueram, & coram pluribus Medicinæ Doctoribus & Studiosis, mense Januario 1747. cum eodem prorsus eventu: hæc optimè consentiunt cum iis, quæ Clarissimus Thomas Schwenke habet apud Kaau Boerhaave pag. 225. neque arteriæ collaterales in nostris experimentis dici possunt adfuisse, quæ vicem supplere potuerint ligatæ iliacæ: contrarium docet accurata & fida dissectio; quamvis & si adessent exiguæ, quas dabimus potuisse observare Clarissimum Kaau propter incredibiles, velut naturæ Lusus in distributione arteriarum, tamen, vix illico sustinendo motui adeo vegeto habiles esse possent; illud evincit Aneurysmatum vel felicissimè curatorum observatio: tunc enim peractâ operatione, non nisi lento gradu restituitur pulsus, mediantibus arteriis collateralibus sensim dumtaxat sufficienter dilatandis. Videatur t. 2. act. Edimb. pag. 33. nec me fugit, apud Bohnium citari experimentum Stenonis, qui arteriâ aortâ descendente ligatâ, vidit omnem partium posticarum motum cessasse, quod idem à se observatum asserit magnus noster Vieussenius; scilicet, arcto vinculo constrictâ aortâ, protinùs subjectas diaphragmati partes paralysi laborasse; Quo sublato, recuperabant tum sensum tum motum: nam ex iis, quæ observavimus, dum ligatura aortæ injicitur, vix ac ne vix quidem fieri potest, quín nervei surculi plures lumbares ad nervorum partium inferiorum compositionem conducentes ligentur simul: unde æquivoca experientia. Porrò nervos fuisse ligatos in experimento allato à Vieussenio, vel ex eo meritò suspicari licet, quòd partes posticæ amitterent & *sensum* & *motum*: enim verò, arterias sensui quoque esse necessarias nemo videtur credidisse; unde non iis, sed nervis ligatis abolitio sensûs observata, videtur referenda.

(*a*) Dom. Haguenot Celeberr. Prof. Monsp. sic sentit quoad indolem fluidi nervei: videatur dissertatio ejus de sensationibus externis. [prop. 7. & Corol. 3. pag. 33.]

non eſt fuſiùs diſquirere; monemus tamen, nos hypotheſi ingenioſiſſimæ Abbatis de Molíere (*a*) adſtipulaturos, quòuſque evictum fuerit experimentis vim electricam, quam clariſſimi viri admittunt ad explicationem motûs muſcularis, propagari non poſſe ultra limites ligaturæ nervis injectæ, quamvís funiculus vinciens, electricæ vi transferendæ idoneus ſit. Hâc ſolâ difficultate cohibiti pulcherrimæ alioquí theoriæ non aſſentimur: útinam felix obſervatio diluat objectionem, & exinde tantó firmiorem reddat exquiſitiſſimam hypotheſim.

15. Quotieſcumque muſculus unus aut plures, vel abſque voluntatis imperio, vel ipſâ renuente, vel præter naturæ conſuetas & ordinarias leges contractionem muſcularem (6) ineunt, convelli dicuntur; hinc patet, quid ſit convulſio, quam diſtinguunt in tonicam & clonicam: tonica eſt, quando muſculi ſemel convulſi, pertinaciter tales manent; in exemplo ſit tetanos, opiſthotonos, & emproſthotonos. Clonica verò eſt, quotiès alternè convelluntur & laxantur iidem; hæc vulgó motuum convulſivorum nomine deſignatur; utraque vel eſt univerſalis, vel particularis, prout plures paucioreſve muſculos afficit. (*b*)

16. evidens eſt, cauſam proximam convulſionis definitæ (15) eſſe cauſam ipſiſſimam motûs muſcularis, ſed præter nutum voluntatis aut naturæ leges conſuetas & ordinarias in actum deductam continuè vel alternatim..

17. Si attentè revolvamus hiſtoriæ medicæ annales, (*c*) videbimus fere ſemper convulſionem fuiſſe determinatam, vel conſequenter ad ſanguinem ſpiſſum, dividendum, vel acres particulas alicubi hærentes, infeſtantes, excutiendas aut demulcendas; vel propter evacuationem ſuppreſſam, reſtituendam; vel propter aliquid extraneum, heterogeneum, irritans, moleſtans, eliminandum. Ex iis perpenſis, & cum ætiologiâ Pathologiæ collatis haud arduum erit deducere, quænam ſint cauſæ convulſionis, tum proegumenæ, tum procatarticæ.

18. Explicatio phænomeni convulſionum pathognomonici ſequi-

(*a*) Tantòque potiùs, quòd optimè ſtet hæc explicatio abſque neceſſitate appulſûs ſanguinis ad muſculos.

(*b*) Imò credibile eſt, faſciculos muſculoſos ſeorſim quaſi moveri poſſe; docet actio perſpecta flexorum digitorum, & fortè horrores, conquaſſationes totiûs corporis in frigore febrili; quos motus, *fibrillares* à nonnullis dici, ex traditione didicimus.

(*c*) Sthall. Theor. Med. Bonetus paſſim in ſepulchreto, de epilepſiâ act. Edimburg. tom. 4. pag. 523. Hildanus obſ. 81. cent. 4. Lanciſius in Hyſtericis, quæ poſt diros motus convulſivos, tonicâ brachii vel cruris convulſione, diem ſuum obierant, ganglia partibus affectis reſpondentia ampliora reddi, hydatibus obſeſſa vidit Diſſert. de gangliis.

tur ex data causa proxima; ſymptomatum, quæ in variis ſpeciebus apparent dilucidatio, ex hiſtoria ſingulari uniuſcujuſque petenda eſt.

19. Diſtingui debet convulſio propriè dicta, à contractione tum elaſticâ, tùm tonicâ ſimplici muſculorum, ex attentione factâ ad phænomena, quæ exhibet muſculus contractus contra naturam 15: etenim, ſi exhibeat ea, quæ (6.)& adhuc intenſiori gradu, propriè convulſio dicenda eſt; ſin minùs laxior aut ſaltem non multùm abludens a firmitate, duritie conſuetis extra tempus actionis muſcularis, tunc ad elaſticam aut tonicam retractionem ſimpliciter revocandus eſt hujus partis affectus.

20. Prognoſis ex Hippocratico ſpeculo a Celeberrimo Gortero dato, deſumenda, optima eſt; attendendo tamen, ibi prolata, ſevero litteræ ſenſu non accipienda eſſe, ſed mollienda pro diverſis circumſtantiis, quas ætas, cauſa tum proegumena, tum procatartica detecta, vires ægrotantis, tempus invaſionis morbi, &c. facilè meditanti paululùm demonſtrabunt: quæ quidem regula ſeu cautela in ſtatuenda cujusvis morbi prognoſi ſemper ſervatur.

21. Detectâ ſemel causâ aut prudenti conjectatione divinatâ, evidens eſt, inde naſci indicationes curatorias, multiplices quidem pro varietate cauſæ, temperamenti, virium, &c. unde quandoque proderit, diætâ convenienti præſcriptâ (quam ſuadebunt mox animadverſæ circumſtantiæ) venæ ſectiones inſtituere; attenuantibus, aperientibus, ſpecificis viru debellando remediis, anthelminticis, purgantibus anó & cató, ſtomachicis, operationibus Chirurgicis, morbum impugnare: mox diluentibus, anodynis, balneis, fomentationibus emollientibus, curationem aggredi; & iis juxta therapeutices præcepta artificiosè adhibitis, morbum ſanare, ſi poſſibile ſit, aut ſaltem ejus ferociam retundere.

22. Immobilitas non convulſiva, anæſtheſia, vel ſeorſim vel ſimul obſervatæ in parte muſculoſa quavis, Paralyſim hujus conſtituunt; quæ multiplex habetur, habitâ ratione ad cauſam, ſedem hujus primariam, gradum immobilitatis aut anæſtheſiæ, concurſum utriuſque, vel unius dumtaxat, numerum partium affectarum plurium pauciorumve.

23. Undenam motûs muſcularis ratio petenda ſit, jam ſupra innuimus (13. & 14.) ſenſus ut detur, neceſſum eſt nervum eſſe liberum in toto ſuo tractu; docent experimenta, quibus, ſectis, compreſſis, ligatis, corruptis nervis, vel in decurſu vel origine, partes ad quas ii tendebant, ſenſu orbari prorſus omni evincitur.

24. Cauſa hujus materialis, videtur adſcribenda (cæteris paribus) oſcillationibus retrogradis fluidi nervei elaſtici (13.) à parte affecta, aduſque nervi originem (hic tantùm ſermo eſt de ſenſibus externis) propagatis; & fortè numero determinato intra datum tempus excitandis

tandis, ut ſenſatio primùm, deinceps varia ſenſatio excitari queat in mente attentâ aut ſaltem non profundâ meditatione veluti immersâ.

25. Cauſa Paralyſeos proxima erit itaque, ablata quocumque modo aptitudo in nervo, aut fluido elaſtico ipſum replente, ad motum muſcularem, aut ſenſum producendum requiſita. Obſtructiones variæ vaſorum involucra nervorum undique cingentium, varia vitia ganglionum, compreſſiones ad originem nervorum aut in tractu eorumdem factæ, tumoribus mollibus, oſſeis, effuſis liquidis, calculis genitis, conſtrictio valida (*a*) & diutina ſyſtematis nervei, morbi diutini prægreſſi vires penitus exſolventes, & ſimilia, cauſarum tum proegumenarum, tum procatarticarum conſpectum facilè exhibebunt.

26. Diagnoſis ex definitione clara eſt; prognoſis ex eodem, de quo (20) & ſimilibus cum cautelis eruenda erit.

27. Satis liquet, pro diverſitate cauſæ, diverſam quoque debere inſtitui therapeiam; hinc diverſiſſima methodus eumdem vulgi oculis apparentem affectum ſanare poterit; itaque pro diverſa circumſtantia, mox venæ ſectionibus, diluentibus, contemperantibus acrimoniam humorum, prudenter aperientibus in conſortium vocatis, ſpecificis (21.), frictionibus, urticatione, electricitatis mirâ energiâ (*b*), thermalibus omni ferè remediorum formulâ adhibitis, ſtimulantibus quibuſcumque, feliciter hunc morbum ſanatum, aut ſaltem notabiliter ſublevatos ægros docet medicorum obſervatio.

28. Ex iis perſpectis & probé penſitatis, jam ſequentia corollaria deducuntur, quæ ſponte nos ad ſolutionem problematis deducunt ſcilicet.

1°. Muſculo Paralyſi affecto (22) Antagoniſta juxta ſui motûs directionem trahet partem, cui inſeritur, contraheturque, ſed (ſi præſcindatur ab omni cauſâ peculiari) contractione elaſticâ, tonicâ ſimpliciter, quæ diſtinguetur a convulſione ſignis (19)

2°. Cùm Paralyſis muſculi pendere poſſit a multiplici causâ (25) & inter eas cauſas, quibus deberi poteſt, quædam ſint quandoque ſimiles iis, quibus convulſio producitur (confer ſimul 17. & 25.) quandoque eadem therapeia & convulſioni & contractioni muſculi

(*a*) Celeber. Morgagnus paralyſim ſuccedentem doloribus acutiſſimis & ſpaſmos creantibus, explicat conſequenter ad prægreſſam validam nervorum conſtrictionem, intimam ſtructuram labefactantem, fulcitque explicationem experientiâ Valſalvianâ ibi citatâ, animadv. 6. pag. 3.

(*b*) Videantur Celeberrimi Profeſſoris Genevenſis Dom. Jallabert obſerv. (exper. ſur l'électricité) Diſſertatio nuperrimè edita de hemipelegiâ per electriſationem curandâ. Quoſdam ipſi vidimus ſatis egregios ſucceſſus.

quæ ſequitur Paralyſim Antagoniſtæ, quandoque verò penitus diverſa conveniet, unde tandem concludimus.

Ergo contractio muſculi, licèt conſtans & permanens ſit, a Paraliſi ſui Antagoniſtæ oriunda, non eſt vera convulſio, quamvìs fieri poſſit, ut eamdem ac convulſio therapeiam quandòque expoſtulet.

QUÆSTIO SECUNDA.

AN eruptioni variolarum difficili, laudanum cum cardiacis ſit præſcribendum?

QUÆ dicturi ſumus de Variolis in hac diſſertatiuncula, comprehendent earum hiſtoriam, brevem quidem, ſed quantùm ſinent arcti theſeos limites, exactam, theoriam & therapeiam: ex iis enim benè perſpectis, facili negotio ſequetur concluſio deducenda, quæ ſatisfaciat problemati.

VARIOLARUM BREVIS HISTORIA.

1. Variolarum nomen dedere medici phymatibus inflammatoriis, ad externum corporis habitum erumpentibus tertio quartove die, ut plurimúm, ab invaſione febris phlogodeæ, octavo circiter die in ſuppuratum abeuntibus, tandemque, relictis ſæpè foveolis in cute, præſertim faciei, decimo quarto morbi die ſub forma ſquammularum deciduis & evaneſcentibus.

2. Morbus ille, Græcis Medicis incognitus, initio ſeptimi ſæculi orbi noſtro cæpit innoteſcere, (*a*) & Arabibus primùm deſcriptus accuratè ſatis, deinceps penitiùs examinatus a Medicis præſtantiſſimis, varias ſpecies, miraſque anomalias exhibuit: harumce diverſarum ſpecierum agmen quaſi ducunt diſcretæ & confluentes Variolæ; illæ benignæ ſæpiſſimè, quandoque tamen malignæ (*b*), magis a ſe invicem ſeparatæ, elatiores, in acumen deſinentes; hæ verò confertiores, cohærentes, vix circumſcriptæ, neque ferè unquam

(*a*) Freind. Hiſt. Med. pag. 274.

(*b*) Clariſ. Helvetius. Traité de la Petite-Vérole, pag. 179. Freindus Epiſtolâ de quibusdam variolarum generibus.

periculi expertes, totam cutis superficiem obsident. ex Variolarum faciem occupantium indole, de earum specie potissimùm judicandum esse monet Sydenhamius; ita ut si confluxerint eo loci, quantumvis in reliquo corpore discretæ, ad confluentes revocandæ sint, & vice versâ. diversa pustularum figura, diversa materies in iis contenta, varius duritiei gradus, similiter distinctiones novas peperere; inde Variolæ crystallinæ (*a*), siliquosæ (*b*), verrucosæ (*c*): ut plurimùm epidemicè grassantur, quandoque verò sporadicè disseminantur; vix plùs, quàm semel idem subjectum afficiunt, contagio diffunduntur in sanos non priùs eodem morbo affectos; arsque naturæ sedula imitatrix, methodum reperit (inoculationem dicunt), cujus ope, sopita velut exsuscitatur earum causa latens linteis pure varioloso madidis, & in vulnusculorum artificiosè factorum hiatibus, tum in crure, tum in brachio immersis (*d*): an prudenter in eo casu, naturam ars imitari tentet, necne, lis adhuc sub judice, & pugnant hinc & inde validissima rationum momenta. Ex genio morbi perspecto, nonnulli viri clarissimi putant hunc esse referendum ad morbos phlegmonodeos acutos, & eamdem therapeiam exigere (*e*) quod si verum sit, tunc satis aptè confluentes ad erysipelatosam, discretæ ad phlegmonodeam speciatim dictam inflammationem revocari possent, utilissimâ in praxi distinctione. Quatuor exhibet tempora variolarum decursus, quibus singulis symptomata propria sunt, therapeia singularis adaptanda venit.

3. Febris inflammatoria diverso gradu sæviens, dolor ad scrobiculum cordis, dorsum, lumbos relatus, cephalalgia, vomituritio, in sudores summa proclivitas in adultis, cutis subtumescentia, potissimùm in facie, discretarum; eadem, sed sæviora, quibus non rarò diarrhæa comes fit, confluentium eruptioni præludunt, quæ tertio aut quarto die satis constanti naturæ lege fieri solet, hoc primum morbi stadium excipiens.

4. Tunc mitescunt omnia symptomata prædicta, cutis incipit rubescere maculis, primò morsibus pulicum satis similibus, deinde magis magisque elevatis in tubercula, vel circumscripta phlegmonodea verè, vel diffusa secum cohærentia erysipelatosa, pro diversitate Variolarum. Ad octavum usque diem prorogatur illud morbi tempus, quo prælapso,

5. Febris recrudescit unà cum symptomatibus (3), molimina suppuratoria excitantur in tuberculis, quæ tandem in abscessus abeunt un-

(*a*) Helvet. tract. cit. pag. 180.
(*b*) Freind. loco cit.
(*c*) Freindus ibid. hæ forté non distinguntur à morbillis papulosis Helvetii.
(*d*) Philos. transac. tom. 2. ibidem videantur egregia de inoculatione variolarum.
(*e*) Illustr. Archiat. D. Chycoineau. Boerhaavius in Aph.

decimo die. Toto eo tempore, præfertim in confluentibus, intumefcit vultus, falivatio excitatur, vifcofior fuccus Meibomianus palpebras tumidas firmiús fecum invicem agglutinat; clauduntur oculi. Iterum defervent inflammatoria phænomena, ruptis puftularum involucris, pus cruftas efformaturum effunditur, quibus unà cum epidermide deciduis, perfufa rubore fubjecta cutis apparet aliquandiu, morbufque fanatus eft.

6. In eo ultimo morbi ftadio, febris putrida, quam fecundariam dicunt, non raró obfervatur. Hujus defcriptionem & curationem optimè Freindus tradidiffe videtur.

Hæc variolarum tempora fuerunt defcripta, prout in regularibus animadverti folent: neutiquam enim omnes anomalarum diverfitates exponere potuimus præ arctis Thefeos limitibus: de iis confuli poffunt egregii authores plurimi, ex quibus hæc pauca etiam excerpfimus, quæ mox prolata funt. Quod attinet ad therapeïæ hiftoriam, facilè ex dicendis, dum ea ex profeffo tradetur, erui poterit. Prognofeos leges optimas, experientiâ fuffultas tradit Helvetius in aureo de Variolis libello, qui, cúm omnium teratur manibus, fpecialem diffuadet earum expofitionem.

THEORIA VARIOLARUM.

7. Duplici de causa potiffimúm videntur admififfe Medici fpecificas, ut ita loquar, morborum quorumdam caufas; vel quia morbus derepentè ingruit nullibi antea obfervatus, vel quia effectuum explicatio deduci nequit ex caufis generalibus perfpectis: & quidem attendenti patebit, ex iifce binis, vel feorfim vel unà concurrentibus, evidenter argui vim fpecificam caufæ morbos producentis. Etenim vix ac ne vix etiam fieri poffet, ut tam longâ fæculorum ferie vixiffent homines eorum morborum immunes, qui potuiffent iis produci caufis, quarum actioni perpetuó erant obnoxii; & vix credibile eft, hos morbos, fi extitiffent, fuiffe omnino prætervifos celeberrimis Medicis, qui toti præcipuè erant in obfervandis & fidè enarrandis morbofis phænomenis. Infuper, cúm effectus caufis fuis refpondeant, deberent hæ perfpectæ ad illorum explicationem ducere.

8. Si principiis pofitis (7.) uti liceat, cogemur agnofcere fpecificam Variolarum caufam. Seminium variolofum dicatur, aut quocumque alio nomine defignetur perindè eft, modó concedatur, hujus efficaciâ mirâ hæc in humano corpore phænomena excitari, quæ fruftra cuivis alteri caufæ adfcriberentur. Porro ex iifce phænomenis, duce experientiâ, fingulares proprietates hujufce feminii deducemus. Enim veró evidens eft, illius hanc effe proprietatem, ut, dum extricatur inflammationem accerfat quafi generalem, & infuper commodè ex-

purgari

purgari nequeat nisi per vasa cutanea, liquamine purulento velut obvolutum.

9. Quisnam causarum singularium concursus huic seminio primùm producendo par extiterit? Difficillimæ imò & fortè impossibilis indaginis & inventionis est; non secùs ac hucusque ignoratur, quomodò prima luis venereæ labes in humanum genus sævire potuerit. Verùm observatio certa docet paucos hodiè esse adultos senesve, qui Variolis non fuerint tentati; & ea, quæ mox diximus (8.), probant id fieri non potuisse, quin prævié delitescens harum seminium, causâ ut plurimùm epidemicâ in actum deducendum, in humorum massa extiterit, aut saltem dispositio singularis ad illud suscipiendum, quæ deinceps evanescit morbo superato, uti conjicere est ex eo quód hæc causa epidemica, imó & vis ipsa contagii (*a*) non sufficiant ad morbum talem per se producendum in eo, qui semel vim hujus expertus est.

10. Itaque necessum est ex parentibus semel quocumque modo infectis viru varioloso in prolem illud serpsisse, vectum liquidis parentum ad generationis opus necessariis, vel modo ferme inexplicabili translatam hanc dispositionem singularem, seminio varioloso suscipiendo, fovendo, extricando datis circumstantiis idoneam, & ipsâ morbi efficaciâ destruendam. Sic calculosi, arthritici, lue aphrodisiacâ infecti, phthisici, liberos procreant iisdem ægritudinibus obnoxios docente quotidianâ observatione; forsan aptiùs hæc dispositio unicuique congenita admittenda est. Ast illud præterea proprium erit huic dispositioni singulari aut seminio varioloso, ut semel in actum deducta, aut extricatum, denuo nequeat revivifcere in eodem subjecto; neque aliud suadent paucæ observationes nonnullorum, bis aut ter expertorum eruptiones variolosas: verisimile enim est in iis paucis, causâ peculiari, vel dispositionem eam penitus destructam, aut virus omni ex parte eliminatum non fuisse: sic qui minùs felicem experti sunt hydrargirosim, eâ finitâ quandoque per plures annos lue liberati videntur, quæ tamen, nec infrequenter excitata morbosis variis circumstantiis curationes earum difficiliores, imò impossibiles, reddit, nisi iterum administratione frictionum tentatâ, si fieri possit.

(*a*) Datur egregium exemplum à Celeb. Jurin. communicatum Societati Londinensi, transact. Philos. tom. 2. mulier cuidam varioloso assidebat; ille delirus factus lecto exiliebat, eamque cervice prehensam brachiis nudis complexus pressit hujus frontem adversùs pectus denudatum & pustulis variolosis maturis coopertum, & in eo situ aliquandiu detinuit: exinde huic mulieri pustulæ subortæ sunt in fronte & partibus posticis & lateralibus cervicis, quas attrectârat æger, quæ omnes mutationes, quas subeunt Variolæ, subierunt absque alio incommodo, & pustulis nullis conspicuis in aliis corporis partibus contactum variolosi non expertis: hæc mulier Variolis laborârat antea, & quidem confertis.

11. Simul atque feminium illud variolofum (8) five præexiftens, five difpofitione fingulari (10) vigente aliunde intromiffum extricabitur, aut humani corporis liquores adorietur, difpofitio inflammatoria fubfequetur (8), quam vel acri vel obftructo deberi aut utrique docent medicinæ principes: unde habebitur a pofteriori, feminii variolofi indoles aut acrimoniâ, aut infpiffante vi, forfan utrifque prædita. Semel natâ inflammationis caufâ, patefcit, unde procedant febris, impetuofus humorum circuitus, diftenfiones membranarum cerebri, medullæ fpinalis, membranæ ventriculi: fenfus ergo dolorifici ad caput, lumbos, medullam fpinalem relati, vomituritiones, diarrhææ facilè explicantur; quibus pofterioribus phænomenis explicandis, haud abfurdum erit, fi proferamus fuccos inteftinales, gaftricos, viru variolofo intus adhuc fæviente tactos, aliquatenus conducere: imó & fatis liquet, prout conftitutio fanguinis caufis variis generalibus tum proegumenis, tum procatarticis, determinata verget vel ad acrimoniam aut ad fpiffitudinem, aliqualem quoque fore obfervandam differentiam in fymptomatibus inflammatoriis vigentibus; quæ differentiæ innotefcunt facilè attendenti ad phænomena eryfipelatis & phlegmonis proprié dictæ.

12. Etiam clarum fiet hanc febrem inflammatoriam tamdiu perfstituram, quandiu virus variolofum, humorum oceano permixtum, iis tenaciter adhærens, eam mobilitatem non obtinebit, quæ requiritur ut viribus vitæ ad cutis fuperficiem propellatur: hanc autem mobilitatem adeptum, repetitis vaforum conquaffationibus, eorum energiâ, caufâ ex mechanifmo fecretionum verifimiliter deducendâ feretur ad vafa minima cutanea, glandulafque miliares: eo liberabitur fluentum fanguinis fic depurati; unde conquiefcent omnes turbæ, quas excitârat cum humoribus confufum; fenfim accumulabitur intra cutanea vafa & glandulas, ea infarciet, irritabit, in iis inflammationem topicam excitabit, quæ adaucta, ftimulo indè nato, motus febriles revocabit ad fuppurationem ritè peragendam neceffarios: eâ peractâ, ablatâ caufâ ftimulante, ceffabunt iterum vaforum ingentia molimina; abfceffus rumpentur, effundetur pus vifcidum, cruftas efformaturum, fub quibus delitefcens hujus quædam portio acrior facta fodicabit partes cutis fubjectas, fenfum pruritûs ingentem excitabit, tandem exarefcentes cruftæ decident brevi, purulentâ omni materie liberabitur cutis, depuratoque fanguine, omnia in priftinam fanitatem fenfim redibunt. Si verò pus minùs feliciter evacuatum, reftitans, putrefcens, reforptum maffam fanguineam infeftaverit, tunc febris putrida, fecundaria dicta, orietur, quandoque fæviffimis fymptomatis ftipata, nec nifi peritâ manu fæpius curandâ feliciter.

13. Minùs præcipua phænomena, in hiftoria quamvis relata, non

explicuimus brevitatis causâ; porro eorum explanatio facilis ex dictis hactenus eruitur.

Corollar. iis omnibus sedulò perpensis patebit, quid sit præstandum Medico, ut felici eventu Variolas curare possit. Etenim in eo debet esse totus, ut virus variolosi facilem extricationem promoveat, extricatum ad vasa cutanea deferri commodè faciat, tuberculis ab eo excitatis laudabilem suppurationem conciliet, promptum & expeditum puri congesto exitum paret. Hinc ex historiâ morbi & theoria fluunt fundamenta therapeiæ in Variolis.

THERAPEIA VARIOLARUM.

14. In primo stadio morbi huc collineandum est, ut virus variolosum facilè extricetur: Ergo removendæ quæcumque causæ huic extricationi obesse queunt: porro hanc deberi vasorum viribus vitalibus evidens est. Igitur illæ sunt ita dirigendæ, ut cum successu optato opus suum moliantur: dirigi debent, inquam; nimis enim debiles, vix ac ne vix quidem sufficiunt operi: vividæ nimis magis intricant quàm extricant, dum difflatâ fluidiori humorum parte, reliquas cogunt in massam ferme irresolubilem, aut in putridum tabum veluti convertunt. Cardiaca prudenter adhibita, attenuantibus primùm levioribus, deinceps fortioribus sociata, quandoque venæ sectio, si vires oppressæ potiùs, quàm exhaustæ sint, cautè instituta, emetica, purgantia, non rarò prudenter adhibita vigentibus febris malignæ aut putridæ signis, omnem absolvent paginam ad vires debiles denuo suscitandas, interim diætâ tenui, potu leviter incidente imperatis: vires nimis ferocientes, acrimoniâ stimulatæ retundentur largis venæ sectionibus (à queis ecthymata purpurascentia quandoque tunc apparentia non debent deterrere) tamen cum cautelis, quas ars suadet, institutis, largo diluentium, demulcentium usu; hypnoticis tempestivè adhibitis, clysmatis, purgantibus, pro re natâ ex complicato sæpius morbo dijudicandâ, variis.

15. Accedente die, quo docet experientia deferendum esse versús cutim virus variolosum, si ex voto succedat eruptio, abstinendum prorsus est à remediis quibuscumque (si diætetica excipiantur), si minùs fausta observetur, tunc attendendum sedulò ad causas multiplices, quæ impedire queunt hanc expectatam translationem; ad hanc efficiendam, viribus vasorum temperatis opus est; unde, si peccent excessu vel defectu, ad temperiem (14.) redigendæ; si cutis aridior, siccior obstet eruptioni liberæ, quod in adultis aut senibus satis fre-

quenter accidere potest, tunc emollientibus, fomentis (*a*), balneis quandoque tepidis cutim laxare proderit (*b*), si cutis vasa, spasmo nimis contracta, viru huc depellendo nimis resistunt, quod ex acris prædominantis signis dignoscetur, hypnoticorum usus erit egregius, quæ *maritata cardiacis miros effectus præstabunt*, quoties unà cum tali spasmo virium debilitas aderit; vis enim laudani stupenda, dum reserat vasa convulsivè quasi constricta, cardiacorum energiâ vires exsuscitat propulsuras ergo feliciùs materiem variolosam in vasa ad ipsam recipiendam adaptata: sed hîc cautè distinguendum est.

16. Tuberculis jam efformatis, dum febris recrudescit, semper ob oculos habeat Medicus eam intra justos limites sævientem necessariam esse ad laudabilem suppurationem promovendam; hæc monitus distinguet apprimè, & utilissimè, quæ fiunt & fieri debent ab iis, quæ minùs tempestivè & contra consuetum in iisce casibus ordinem instituuntur: hîc summâ prudentiâ opus est; sicut enim, morbo non rité procedente, remedia, quibus ad debitam normam redigatur, ars suppeditat; sic, dum omnia votis respondent, cavendum ne nimis agendo, morbi ferociam eventu funesto intendamus. Igitur in hoc stadio suppurationis in mentem revocet Medicus quæcumque sunt utilia suppurationis negotio promovendo: hæc hauriet ex inflammationis ejusque exituum historia, & ad amussim therapeiam suam consequenter ad leges ibi præscriptas diriget.

In ultimo stadio, imò & in penultimo butyrum recentissimum non salitum, oleum amygdalarum dulcium sine igne expressum, butyrum ex cacao, oblita pustulis potissimùm faciei, crustas emollient, cutis tensionem inflammatoriam imminuent, pruritum lenient, & sic omni indicationi tunc temporis vigenti satisfacient; pustulæ si minús promptè apertæ tardiùs effundant pus conclusum, utiliter quandoque institui poterit earum excisio. Oculis prospiciendum, frequenti applicatione linteorum, aquâ rosarum, plantaginis, cum ovi albumine conquassatis, madidorum, instillatione lactis muliebris, aut fomentatione ex quocumque alio lacte, oleo ovorum, & similibus. Ori interiori gargarismata demulcentia, leniter detergentia proderunt. Quænam methodus sit adhibenda in febre secundariâ superveniente docet egregiè Celebr. Freindus.

(*a*) D. Martin Med. Lausanensis optimos successus in Variolis expertus est linteo molliori, aquâ tepidâ imbuto, fovendo partes tum faciei, tum reliqui corporis quartâ quâlibet horâ. Hist. Acad. 1737.

(*b*) D. Lemery balneo aquæ tepidæ promovit eruptionem Variolarum alioqui vix locum habituram: methodus feliciter adhibita, quæ tamen videretur fortè postponenda modò citatæ. Hist. Acad. 1711.

(*c*) Freind hist. med. pag. 277.

COROLLAR.

Corollar. 1um. ex dictis in therapeia liquet non unam methodum Variolis curandis feliciter adhiberi posse, sed variam multiplicemque, & habito respectu ad circumstantias innumeras immutandam, quæ vix ac ne vix quidem nisi generalissimè tradi possunt.

Corollar. 2um. Proinde graviter peccare eos, qui refrigerantibus solis omnem curationem absolvi posse credunt cum Arabibus, qui potu aquæ frigidæ, glaciatæ, natatione in aqua frigidissima morbum aggrediebantur, tamen magis excusandis, (a) quia sub cælo siccissimo fervidissimo degebant, aut eâdem temperatâ quidem methodo, sed refrigerantibus semper intentâ. Nec minùs culpandos, qui præpostero calefacientium usui indulgentes operam ludunt in eliminanda per sudores extortos materie morbificâ: *inter utrumque tene; medio tutissimus ibis*, modò tamen pro re nata, paululùm hinc & inde prudenter deflexeris.

Corollar. 3um. vix ac ne vix quidem sperandam esse Variolarum curationem per simplicem resolutionem, ut videtur ad sic sentiendum aliquando pronus fuisse magnus Boerhaavius.

Tandem elicietur in quibusdam circumstantiis (15.) laudanum cum cardiacis mixtum egregiè promovere eruptionem Variolarum: unde sub allatis cautelis concludimus.

Ergo eruptioni Variolarum difficili laudanum cum cardiacis mixtum præscribendum est.

QUÆSTIO TERTIA.

An possit empyema per diuresim expurgari?

1. EMPYEMA vox æquivoca, diversis significandis apud diversos authores adhibita (b), tamen juxta receptissimum loquendî modum collectio puris audit intra thoracis cavitatem effusi. Quæritur, an illud per diuresim expurgari possit? Quid respondendum esse nobis videatur, patebit ex sequentibus.

2. Difficillimum est certò cognoscere puris effusionem in thorace factam: morbi prægressi inflammatorii minùs feliciter curati, fa-

(a) Freind. Hist. Med. pag. 277.
(b) Gorrhei def. Med. Dionis operat. &c.

cilior in dorſum decubitus, in ſanum latus præ dolore urgente impoſſibilis ferè, pondus in ægro erecto ad diaphragma relatum, ſunt præcipua & minùs æquivoca ſigna latentis empyematis, quod præſens demonſtrat certiſſimè operatio chirurgica, ut & viæ ab externo thoracis habitu ducentes in hujus cavum, fiſtulæ (*a*) v. g. thoracicæ penetrantes.

3. PUS eſt ſanguis in tumore inflammatorio congeſtus in liquamen albeſcens, ſubtenax, inodorum verſus; remorâ diuturniori putreſcit omnino, abit in ſaniem, ichorem; ſicque attenuatum, intra vaſa ſanguinea reſorberi poteſt bibulis oſtiolis ubique patulis; docent omnes Medici.

4. Actio vitæ, quâ fit pus (3) ſuppuratio dicitur, quæ tum in extremis vaſorum ruptorum retractis, tum in ipſis integris, ſed penitus obſtructis materie ſpiſſâ & acri, locum habere poteſt, utí vel leviſſima attentio ad mechaniſmum ſuppurationis, à Celeber. Profeſſore hujuſce licæi datum (*b*) manifeſtè ſuadebit: etenim vaſa, ut ut integra, modò obturata prorſus fuerint in ipſiſſimo eodem ſtatu verſantur, habito reſpectu ad vicina vividiùs oſcillantia, ac vaſa rupta quidem, ſed retractione ſub finitimis partibus, contractione propriarum fibrarum arctata, & ſanguinem immeabilem coercentia.

5. Pulmonum membrana pertunditur innumeris poris, cum cellulis eorumdem communicantibus; docent experimenta Williſiana (*c*) ſed multò evidentiùs confirmatur obſervatione Celeb. Halæi (*d*), ad idem utcumque probandum concurrit ea, quam Anatomici expe-

(*a*) Marchetti. obſer. Chirurg.

(*b*) D. Fizes. tamen præter vicinorum vaſorum oſcillationem videtur fortè aliquid aliud requiri, quò ex ſanguine inflammato pus ſoboleſcat; me ſic ancipitem detinent obſervationes ſequentes; ſanguis ſupponitur contentus intra vaſorum extrema rupta & coarctata, ita ut neque juxta axim vaſis progredi queat quia obturatur penitus, neque retrogredi propter reſiſtentiam totius columnæ cruoris oppoſitam. Iis itaque ſic poſitis, ſi ſanguis incompreſſibilis ſit, utí demonſtrant experimenta, quantâcumque vi vaſa ruptis aut integris obſtructis circumpoſita oſcillationes ſuas edant, vaſorum, in quibus hæret ſanguis, parietes quomodò premi poſſint efficaciter, & inde ſolvi, atteri cruor hærens, non ſatis aſſequi poſſum. Sin contrà ſupponatur ſanguis compreſſibilis, cùm nequeat moveri ullatenus juxta axim vaſorum, in quibus ſiſtitur; videtur omnis vaſorum circumpoſitorum efficacia eò vergere, ut humores hærentes, magis magiſque compreſſi denſentur in firmius corpus & indurentur. Numquid credi poſſet vim vitæ in ſuppurationis negotio neceſſariam eſſe, quatenus humorum hærentium, motu putrefactorio agitatorum partes jam putridas, ſolutas motu inteſtino, expelli neceſſum eſt, ut præcaveatur eorum abſoluta putredo; ſic videtur dudum ſenſiſſe Sthallius, attamen hæc tanquam dubia proponuntur, quæ eximi à peritioribus ſincerè cupio.

(*c*) De organis & uſu reſpir. Will. apud Manget.

(*d*) Static. veget. pag. 214.

riuntur, difficultas, dum pulmones aëre replere, repletosque servare tentant.

6. Grandiores pulmonum cellulæ visæ sunt Helvetio foramine pertundi, cujus exitum (*a*) invenire non licuit viro clarissimo: numquid illud haberi posset pro initio ductûs ab iis cellulis ad exteriorem membranam ducentis? admodùm probabile est.

7. Ex tumefacto & materiâ purulentâ repleto uretere in mulieris cadavere vidit Ruyschius innumerabilia vascula, alba, turgida, setam tenuem crassa, versùs hypochondrium sinistrum tendentia; ubinam terminarentur, sat accuratè investigare non licuit egregio Anatomico, qui asserit hæc vascula neutiquam fuisse venas lacteas, multó minús sanguineas; putat hæc vasorum peculiare genus constituere, imó quasdam fibras esse, quarum beneficio lumbis alligantur ureteres, quas cavas semper esse existimat. (*b*)

8. Verducius vidit empyema ex pure in hepate formato, in thoracem, eroso diaphragmate, delato productum, partim per expectorationem evacuatum: pulmo diaphragmati, quâ parte illud aperiebatur, adhærescebat, & ipse corrosus intra suas cellulas facilè pus admittebat expellendum per vias aëreas: hanc partium dispositionem edocebat apertio cadaveris. (*c*)

9. Vir quidam militaris in parte media & postica ulnæ sclopeto vulneratus satis diris symptomatibus primùm affectus fuit; supervenit humorum in partibus prædictis congestio, quæ abscessum produxit; dum cogitarent Chirurgi de illo aperiendo, diarrhæa ingens, derepentè ingruens tumorem hunc solvit, brachiumque & ulnam pristino statui reddidit: hoc naturæ beneficio attonitus Chirurgus excrementa perlustrat, quæ pauca, copiosæ materiei purulentæ immixta, cernebantur, ab ipsa tamen facilè distinguenda: quodque mirandum, quoties nova humorum quantitas in membra affecta coacervabatur, toties paulò post superveniens diarrhæa tumorem curabat, & vulnere penitus sanato, diarrhæa quoque prorsus substitit. (*d*)

10. Vir quidam militaris passus vulnus ad thoracem penetrans, lædensque pulmones symptomatibus huic affectui vulgò propriis dirè vexabatur: sanatus fuit venæ sectionibus è brachio, quæ loco sanguinis pus verum effundi sinebant. (*e*)

11. Filio cujusdam ludimagistri in parte superna thoracis vulnerato paracenthesi fuit apertus thorax; ex eo postridie apertionis

(*a*) Mem. Acad. 1718. pag. 26.
(*b*) Ruysch. obs. 94.
(*c*) Verduc. apud Dionis.
(*d*) Belloft. Chirurg. de l'Hôpital.
(*e*) Belloft. Chirurg. de l'Hôpital.

puris libræ duæ prodierunt: neque solùm pus in hoc subjecto per vulnus arte factum evacuabatur, sed etiam per os & per urinas, ad usque unius libræ quantitatem singulo die (a)

COROLLARIA.

1um. Summam certò dignoscendi empyematis difficultatem (2) perpendenti liquebit, cautè esse examinandas observationes, quibus probatur pus collectum in thorace vel per os, vel per sedem aut urinas fuisse evacuatum: ex illis enim eæ solæ videntur seligendæ ad tales empyematis exitus demonstrandos, quæ præ se ferunt evidentiam empyematis præsentis, quæ certè non sunt adeò numerosæ.

2um. Si quis bonâ fide examinaverit, quæ de suppurationis sede varia diximus (4), ille haud ægrè capiet, quomodò fieri possit, ut pus in tumore inflammatorio genitum, deinceps purum per venas reliqui corporis tranfluat. (10) enimverò supponatur vasis integris suppurationem locum habuisse; sanguis hâc vitæ actione in liquamen purulentum mutatus (quod est cruore, saltem inflammatorio, immeabili, fluxilius), vias circulationis iterum relegere poterit, & ad varia loca deponi: quod quidem Corollarium severo scrutinio examinatum dabit fortè explicationem plurium observationum apud antiquos Medicos prostantium.

3um. Ex iis, quæ protulimus de pure stagnante (3), patebit haud esse impossibile illud in thorace conclusum, attenuatum, resorberi per vasa bibula thoracis, & iis mediantibus refundendum in sanguinis oceanum, ex quo tum per alias, tum etiam per urinæ vias separari poterit.

4um. Analogiâ illud tertium Corollarium firmari patebit ex allatis (9), nam si pus ulnæ vasis bibulis absorptum (non enim videntur aliæ fingi posse viæ) viis circulationis delatum observetur ad fistulas intestinales; quidni ejusdem indolis liquor, in thoracis cavo stagnans, hujus ductibus inhalantibus quasi suctus, ad tubulos renales ferri non posset?

5um. Ex observatione relata (11) directè evincitur quandoque empyema per vias urinarias partim evacuatum esse.

6um. Deducere pronum est attendendo ad dicta (5. 6.) quibusnam viis empyemata potuerint expectoratione sanari; Et ex Verducii observatione (8) liquebit, quonam mirabili artificio *natura licet inerudita* miras quandoque vias cudat eliminationi materiæ morbificæ: moniti discemus non ea pro absurdis & ridiculis habenda præci-

(a) Marchetti. obs. Chirurg.

pitanter

pitanter, quæ debilem humanæ mentis aciem, ad rerum explicationes intentam, penitus effugere videntur. (*a*)

7um. Ruyſchiana obſervatio (7) novas vias poſſibiles ex Ruyſchio docebit, quibus ex thoracis cavitate ad vias urinæ, materiei purulentæ pandatur iter: hæc enim levi roſione facilem ſibi viam aperiet inter aortam diaphragma prætergredientem, & columnas tendineas hujuſce muſculi: ibi occurret fibrillis, quas cavas ſemper exiſtimavit Ruyſchius ureteres lumbis alligantes, & illis blandè corroſis mediantibus, ad uſque ureteres perveniet.

8um. Tandem analogiâ (4um. Coroll.) ratione (Coroll. 3.) obſervatione (Cor. 5.) Anatomici præſtantiſſimi authoritate freti (Cor. 7.) concludemus.

Ergo poteſt empyema per urinæ vias, ſeu per diureſim expurgari.

QUÆSTIO QUARTA.

An vulnera capitis ſint periculoſiora Pariſiis quàm Monſpelii; vulnera verò tibiarum ſint periculoſiora Monſpelii quàm Pariſiis?

1. VULNUS quamvís ſit affectus communiſſimus, tamen ejus accuratam exponere definitionem non ita facile eſt: (*b*) uſu apud præſtantiſſimos viros recepto, dicitur ſoluta cohæſio recens,

(*a*) Marchettus in quodam fiſtulâ thoracicâ laborante, ad deterſionem varia dum injiceret in thoracis cavum, obſervabat ea promptè per tuſſim rejici, imprimis quando vinum ad injectiones adhibebatur. Quid ſatis ſimile habet Paræus lib. 10. pag. 296. hæc ex dictis in hoc Corollario ſatis benè intelliguntur.

(*b*) Hâc de re videatur Illuſt. Magat. libr. 1. cap. 7. varias Authorum definitiones expendit refellitque, & propriam affert, quæ vel ipſimet Authori non videtur omnis difficultatis expers: in eo convenit cum aliis plurimis, vulnus non dici debere, niſi quatenus ſolutio continui locum habet in partibus mollibus; tamen vulneris nomen impertiunt Authores Chirurgi variis cranii inciſionibus, exciſionibus, inſtrumento ſcindente diverſimodè applicato factis; neque ſatis aptè dici poteſt os, cujus pars integra fuit exciſione ablata [malum vocant apoſceparniſmon] fuiſſe fractum, ſatiuſque videretur, cum Celſo vulneris nomen transferre etiam ad partes duras, ſaltem dum inſtrumentis cædentibus læduntur. Itaque magis arrideret definitio vulneris ſic tradita; vulnus eſt ſolutio continui, cum ſenſibili cujuſdam liquoris effluxu, facta à cauſa mechanica, citra ſubſtantiæ diſſolutionem: hæ notæ diſtinguunt vulnus ab ulcere, & conſequenter ad eas

cruenta partis mollis, a corpore duro, acuto, moto, presso, vel resistente. (*a*)

2. Vulnerum a Medico-chirurgis pertractandorum ordo desumi solet ex variis, quas afficiunt, corporis humani partibus: hinc vulneris genericè considerati divisio in vulnera thoracis, abdominis, capitis, tibiarum &c.

3. Vulnera capitis ea dicuntur, quæ cranium, in eo contentas, huic superstratas partes lædunt (*b*)

4. Vulnera tibiarum appellantur, quæ tibias infestant.

5. Circa hæc ultima (3. 4.) bina quæstio proponitur: prima scilicet, an vulnera capitis sint periculosiora Parisiis quàm Monspelii? secunda, an vulnere tibiarum sint periculosiora Monspelii quàm Parisiis?

6. Quibus ut satisfiat, evidentissimè liquet sequentia præcognoscenda: 1°. Quænam conditiones generales periculosa vulnera faciant; 2°. An illæ conditiones, habito respectu ad capitis affectus memoratos, magis vigeant Parisiis quàm Monspelii & vice versâ magis sæviant Monspelii quàm Parisiis, si sermo sit de vulneribus tibiarum.

7. Vulnera quæcumque, sunt fiuntve periculosa (*c*), cæteris paribus, duplici potissimùm de causa; vel per se, vel dependenter à variis circumstantiis vulneri (quatenus vulnus est determinatam partem afficiens) extraneis.

8. Per se periculosum est vulnus lædens partes in œconomia animali principes, lædens arterias, venas magnas, nervos, tendones, aponeuroses, periostea. Sub eodem respectu, periculi plenum observatur, quando in variis cavitatibus humorum effusio vel nullatenus vel ægrè expurgandorum ejus est sequela ineluctabilis.

9. Periculosum fit complicatione cum alio affectu, aëris constitutione singulari pandemicâ, epidemicâ vel, endemicâ, (*d*), temperamento variè morboso ægrotantium, virus peculiaris energiâ, diætâ in-

etiam osseæ partes dici possunt vulneratæ. Evidens est causam efficientem solutionis continui esse tum impetum instrumenti adacti, resistentias fibrarum corporis superantem, tum propriam vim elasticam earumdem semel sectarum.

(*a*) Boërhaave comm. Vansw. parag. 3.

(*b*) Vulnera faciei ad eamdem classem referuntur, sed minus præcipua sunt

(*c*) Vox periculosa hic latiori sensu assumitur.

(*d*) Paræus pag. 333. narrat, obsidione Rhotomagi perstante, adeo corruptam fuisse aëris qualitatem, ut nisi quotidiè vulnera solverentur, vermes in iis producerentur quàm plurimi. Huc utcumque referri potest, quod habet Saviardus de maximè noxiis halitibus, queis scatet aër nosocomii Parisiensis, vulnera vel levissima lethalia reddens.

congruâ, medicamentis intempeſtivè præſcriptis, minùs peritâ Chirurgicâ therapeiâ (*a*).

10. Ex dictis (8) liquet vulnera capitis, integumenta communia dum ſolùm lædunt, per ſe vacare periculo, graviora eſſe, quæ aponeuroticum involucrum, pericranium afficiunt; indè enim dolores atrociſſimos, febres, pervigilia ſuboriri experientiâ certum eſt, ut & graviſſima eſſe, quæ trans ipſam thecam oſſeam penetrantia vim inferunt duræ & piæ menyngibus, imò & ipſi ſubſtantiæ cerebroſæ.

11. Ex iis, quæ (9) patebit, capitis partibus inflicta vulnera, utcumque levia per ſe, tamen fieri poſſe periculoſiſſima, aliquâ ex cauſis memoratis aut pluribus ſimul concurrentibus.

12. Pariter liquebit ex iiſdem (9) quibuſnam in circumſtantiis, vulnera tibiarum levia ſint aut periculoſa, per ſe vel per accidens.

13. Hæc omnia (8. 9. 10. 11. 12.) ſi attento animo perſpexerimus, pateſcet, neque capitis, neque tibiarum vulnera Pariſiis quàm Monſpelii, aut vice versâ, per ſe periculoſiora admitti poſſe, modó omnes, quibus infliguntur, circumſtantiæ ſint utrobique pares, uno verbo modó vulnera ſint ſimillima. Etenim eamdem eſſe ſtructuram corporis humani partium, eaſdem circuitûs humorum leges, eamdem neceſſitatem; ex iiſdem itaque læſis ſimiliter, ſimilia ſequi debere phænomena ita clarum eſt, ut non alio quàm indicatu hæc veritas indigeat, ut ab unoquoque percipiatur.

14. Supereſt ergo, ut quæſitæ diverſitates periculi (5) petantur ex circumſtantiis prorſus extraneis vulneri, quà tale eſt, ſcilicet ex iis quæ prolata ſunt (9): porro iterum neceſſum erit, antequam ex comparatis inter ſe vulneribus (3. 4.) tum Monſpelii tum Pariſiis obſervatis, quidquam concludatur certó circa periculi diverſitatem, ut quæcumque circumſtantiæ, quas ſimiles utrobique poterit ars efficere aut conſiderare, ſimiles ſupponantur: proinde eadem debuit eſſe therapeia Chirurgica, eadem diæta, idem temperamentum, eadem in altero, ſiqua fuerit in uno, conſtitutio morboſa, aeris peculiaribus miaſmatis inquinati (*c*) defectus ubique corrigendus: enimverò ſi, quæ ſimilia ſupponi poſſunt, non talia ſupponerentur, evidens eſt diverſitatem periculi in vulneribus (3. 4) reperiendam æquo jure poſſe adſcribi hiſce, quæ non ſimilia forent, ac cauſis aut Pariſino aut Monſpelienſi ſolo propriis & ineluctabilibus.

(*a*) Severin. apud Vanſvv. olei funeſtum uſum deplorat, qui Neapoli communis erat in capitis vulneribus, & dicit, quòd vel leviſſimæ plagæ malè cederent præter opinionem & ex centenis vix unus evaderet. Garangeot vidit vulnus ſimplex capitis periculoſſimum redditum intempeſtivâ turundarum applicatione. Idem Ledran, &c.

(*b*) Huc refer notam num. 6. Saviar.

15. Jamverò ea sedulò perpendamus, quæ arti non fas est corrigere aut similia supponere; nihil aliud reperiemus, præter qualitates aeris atmosphærici, alimentorum, & potulentorum! saltem aqueorum. Itaque hùc reducentur quæstiones propositæ, ut determinetur, utrùm diversitates inter aerem Monspessulanum & Parisinum reperiundæ, qualitates alimenti & potulenti iisce locis propriæ, efficiant vulnera capitis periculosiora Parisiis quàm Monspelii, contrariam autem rationem haberi, collatis inter se utrobique tibiarum vulneribus.

16. Lis, ratione vel observationibus dirimi potest solummodò: igitur quid ratio, quid experimenta doceant, expiscemur.

17. Ratio suadet eadem generalia, quæ in uno subjecto sanationi vulneris obstant, in tibia v. g. & officere in eodem, curationi cujuscumque alterius vulneris, in capite v. g. sedem habituri; siquidem non dispar humorum indoles, non dissimilis solidorum dispositio requiruntur, ut absolvantur detersiones, conglutinationes, cicatrices, in corporis partibus, loco utcumque diversis: semper ubique desideratur obsequiosa intra debitos limites vasorum mollities, semper expetitur vis propulsiva moderata fluidorum ritè constituorum; docent experimenta, à corde ad partes quascumque sanguinem sibi simillimum ubivis, expelli; hinc si peccet ejus qualitas in una parte, similiter & in alia qualibet peccet ea, necessum est: unde similia hinc & inde sanationibus vulnerum, sive in tibia sive in capite observatorum, obstacula nascentur ex iis causis (15) quæ generalem humorum solidorumque diathesim immutare queunt. Sic quibus humorum moles universa viru quodam inficitur, ii quacumque demum in parte corporis vulnerentur, ægrè sanescunt nec ferme unquam feliciter, nisi hâc causâ generali destructâ.

18. Ergo, si talis sit soli Parisini qualitas, ut in humanum corpus, effectu generali (15.) possit periculosiora vulnera capitis efficere quàm sunt Monspelii, ratio neutiquam assequitur, quí fieri possit ut Monspelii tibiarum vulnera sint minùs periculosa quàm Parisiis.

19. Si rationem experimentis suffultam audiamus, aer calidior, qualis Monspeliensis, multò aptior erit ad vulnerum curationis difficultatem & periculum inducenda, quàm Parisiensis frigidior: *hyeme diutiùs vivet homo quàm æstate, si periturus est ex vulnere, quâcumque demum capitis parte vulnus habeat æstate ante septimum diem, hyeme ante decimum quartum diem pereunt, qui capite vulnerato ultimum diem suum obituri sunt* (*a*) & certè putredo, infestissima vulnerum sanationi, citiús fervente cœlo quàm frigido locum habere debet, docent Physico-chymici.

(*a*) Hippocr. de vuln. cap. cit. Vansw.

20. Observationes

20. Observationes prostant multiplices vulnerum capitis, etiam gravium, felicissimè Parisiis sanatorum (*a*): neque Monspelii desunt, qui pluries capitis vulnera pessimè cessisse viderunt.

21. Deest absolutè circa vulnera (3. 4.) observationum quædam series circumstantiis requisitis (14.) perpensis ornatarum: verum quidem est scripsisse Guidonem de Cauliaco ulcera tibiarum sanari difficiliùs Avenione quàm Parisiis; sed aliorum fide vagâ, non propriâ id notat: imò ad id credendum impulsus videtur theoreticis potiùs quàm practicis rationum momentis (*b*); D. Borel Medicus Castriensis asserit quidem in sua civitate difficiliùs multò sanari tibiarum ulcera quàm Parisiis; sed admodùm vagè, & absque ullo argumento ex observationibus determinatis deprompto. (*c*)

Corollar. 1um. Ex dictis (a 13. usque ad 21.) sequitur, neque rationem neque observationem nobis lucem præferre in hac problematis dati solutione, quæ tamen peti tantummodò potest ex alterutro fonte: quin juxta eam, quâ propositum fuit, formulam ex solis observationibus quæri debet.

Corollar. 2um. Ex iis, quæ habentur (21), sequitur, observationes solvendo problemati fundamenta jacturas, sufficientes deesse.

Corollar. 3um. Ergo desunt data, quibus solis problema determinari potest.

Corollar. Ultimum. Ergo indeterminatum manebit,

An vulnera capitis sint periculosiora Parisiis quàm Monspelii; vulnera verò tibiarum sint periculosiora Monspelii quàm Parisiis

---

QUÆSTIO QUINTA.

Marasmi theoriam & therapeiam exponere.

BREVIS HISTORIA MORBI.

1. MACILENTA corporis cachexia, hippocraticâ facie (*d*) sceleti formam referens, Marasmus dicitur ab omnibus Medicis.

(*a*) Videatur obs. Saviar, Ledran, quibus constat quosdam, etsi graviter capite vulneratos, tamen absque febre aut alio ferme ullo incommodo sanatos fuisse intra paucos dies felicissimè.

(*b*) De ulceribus in genere.

(*c*) Medecine efficace.

(*d*) Facies Hippocratica, id est nares acutæ, oculi cavi, tempora demissa, aures breviores. Mercurial. de febr.

2. Duæ sunt hujus species apud authores eximios decantatæ: alius enim torridus calidusve, alter frigidus, *senium Philippi* (*a*), Marasmus appellatur: prior a posteriori discriminatur, quòd ille febrem sibi comitem semper adjungat hecticam, vel lentam symptomaticam; hic verò neutiquam, & admodúm rarus, si ullus verè observatur (*b*)

3. Febris hectica debetur ut plurimùm efficaciæ virus peculiaris scorbutici, venerei aut cancrosi; hanc pariter inducunt evacuationes humorum nimiæ quocumque modo sollicitatæ, quâcumque viâ factæ (*c*), febres ardentes, intermittentes diutinæ, animi pathemata varia, &c.

4. Febris hecticæ triplicem gradum distinguunt Medici; primum denotant levissima febricula, continua simplex, vel vix sensibiliter composita, imminutio virium vix percipienda ægro, corporis consumptio minimè notabilis: febris magis evidens, hujus exacerbationes, præcipuè ab assumptis cibis minùs feliciter digestis, subque exacerbationis finem sudor promanans, vel ex toto corpore, vel saltem ex pectore, virium prostratio ingens, habitûs corporis imminuta summè moles, calor acer in volis manuum & plantis pedum identidem ingeminans secundum gradum designant, qui tandem, ingravescentibus summoperè omnibus symptomatibus prædictis, abit in tertium seu Marasmum calidum. (*d*)

5. Febris lentæ symptomaticæ totidem sunt gradus, iisdem successivè signis cognoscendi, & eodem modo concurrentes ad Marasmi productionem, sed tantúm ab iis diversi, qui observantur in hectica, quòd illi vitiis universalibus humorum debeantur; hi primitús originem suam referant ad corruptelæ in aliquo organo genitæ effectus, ulceris putà alicujus, fistulæ, vel materiei purulentæ, saniosæ, cancrosæ, in singulari parte accumulatæ.

6. Ex dictis hactenus colligere est easdem esse causas Marasmi & febris lentæ (2. 3. 4. 5.) sive hecticæ, sive symptomaticæ, solo gradu intensitatis diversas, eadem esse symptomata, imò febrem hecticam & lentam posse considerari suis in gradidus diversis, veluti totidem stadia Marasmi incipientis, adaugescentis, & tandem confirmati.

(*a*) Marasmus frigidus dicitur hectica senectutis, *senium Philippi*, ex eo quòd quidam Medicus, nomine Philippus omnium primus hujusmodi Marasmum *senium* vocavit, Mercurial ibid....

(*b*) Neque enim Marasmus, qui supervenit senio ingruente, morbus dici posse videtur.

(*c*) Videantur exempla apud Morthon phthisiolog.

(*d*) Circa distinctionem horumce graduum consulatur omnino egregius tractatus de febribus Celeber. Prof. D. Fizes.

7. Inde (6.) ſequetur iterum Maraſmi ſub hoc reſpectu conſiderati febriumque lentarum & hecticarum eamdem eſſe prognoſim, quæ talis ſtatuitur, ut in primo gradu non raró (præcipuè qui pendet ab hectica, quam fovet virus venereum) curationem admittant, in ſecundo difficilimè, in tertio ferè nunquam. Quibus tabe laborantibus capilli de capite defluunt, ii alvi fluxu ſuperveniente moriuntur. *Aphor.* 12. *l* 5.

THEORIA MARASMI.

8. Solidæ partes in humano corpore, vitæ viribus agitatæ, non deperdunt ſenſibiliter (*a*): ergo neque eas reparari neceſſum eſt. Id pulcherrimis experimentis, ratiociniis geometricis ingenioſiſſimè firmatum ferme ad demonſtrationis evidentiam probat Celeber. Keilus. (*b*)

9. Ergo, quidquid agitur in negotio nutritionis, adſcribendum eſt fluidis per vaſa decurrentibus & ea replentibus: nutritio enim ea dicitur functio, cujus ope tantum & tale reſtituitur, quantum & quale deperditum fuit: itaque, ſi quoad partes ſolas fluidas jacturam patitur corpus, ſolis fluidis partibus eam reſarciri poſſe evidens eſt. Quod cúm ita ſit, (8) fatiſcentem corporis molem defectu nutrimenti, liquidorum minori copiæ tunc temporis reperiundæ intra vaſa, lubenter adſcribemus; & vice verſâ, corporis priùs imminutam, jam aſſumpto nutrimento reſtitutam molem fluidis in tali circumſtantia vaſorum parietes magis diſtendentibus, unicè tribuemus: hoc veró docent evidentiſſimè, qui longo morbo fracti, diætâ ſeveriori, medicaminibus ad curationem neceſſariis emaciati, ſenſim ad priſtinum vigoris & molis habitum redeunt intra paucum tempus, reddito juxta leges artis idoneo pabulo.

10. Hinc deducemus corpus tamdiù in debitâ & naturali mole perſtiturum, quandiu vaſa ejus fluidis ad ſolitum gradum replebuntur; & è contrà tantó magis emaciandum fore, quantò plus inanientur canales elaſtici, quibus conſtituitur.

Corollar. 1um. Ex iis deducetur cauſam proximam continen-

(*a*) In humano corpore ſolida duplicis generis admitti poſſunt, vel primigenia, vel acquiſita: primigenia dicuntur, quæ rudimentorum hominis in ovulo prima ſtamina componunt, quibus intertexuntur fulciunturque vaſa omnigena, quibus vaſis evolutis, elongatis, ſolidorum primigeniorum interſtitia, dum creſcunt, fluidis concretioni aptis replentur: fluida hæc tum indurata ibi, tum vaſorum minimorum, præcipuè quarumdam partium, parietes ſenſim incruſtantia, ſenſim molem acquiſitorum efficiunt.

(*b*) Keill, tentamina Medico-Phyſica.

tem Marafmi (1) effe fummè imminutam humorum copiam vafa corporis humani perluentium, (*a*) faltem in minimis vafis, quæ maximam hujus partem conftituunt, docente Anatome.

COROLLAR. 2um. Inde luculentum fiet, cur a morbis diutinis, evacuationibus ingentiffimis aut diu continuatis, a caufis obftruentibus vafa minima, glandulas mefentericas, producatur Marafmus.

COROLLAR. 3um. Iterum pro certo habebitur, quæcumque fanguinem humorefque tenuiores efficient, magis ideo facilè difflandos & perfpirabiles, ad producendum morbum (1) conducturos efficaciffimé : inde vis puris corrupti, attenuati, acris alkalefcentis cum humoribus mixti effectus patebunt (*b*)

11. Dum debilius fit animal, exhauftis per fubftractionem fluidorum viribus, numerus pulfationum arteriæ crefcit notabiliter ; docet experimentum Halæi (*c*) & in datis circumftantiis iifdem magnitudinem pulsûs decrefcere evidens eft; namque ea refpondet quantitati fanguinis propulfi ex corde in fyftema arteriofum quâlibet fyftole.

12. Vires corporis mufculares, cæteris paribus, refpondent humorum copiæ.

13. Quò tenuiores funt humores, eò faciliús ad vafa cutanea ferri poffunt.

14. Experientia demonftrat Marafmo laborantium fanguinem, effe tenuiorem multó (*d*) quàm in ftatu naturali.

15. Quidquid cordi refiftentiam opponit, obfervatione inconcuffâ docente, ejus contractiones frequentiores aut validiores reddit : neque talis effectus locum habere poteft, quin reliquorum mufculorum vires conftantes inde aliquid detrimenti patiantur; docet quantitas finita virium corporis humani perfpecta.

16. Quò ad putridum, acre, alkalefcens, magis vergunt humores, eò majorem calorem affrictu poffunt acquirere, nullibi tantum, quantum in locis iis, in quibus textus partium firmior, & perfpiratio acrium, quæ in finu fuo gerunt, difficilior.

(*a*) Reverà quàm parva eft ratio magnitudinis vaforum majorum quæ fubeunt hepar, fi ea conferantur cum tota mole hepatis ? Idem dici poteft de reliquis partibus ; tamen hæc vasa minima non habent fua fluida nifi à vafis majoribus ; unde Marafmus concipi poteft pendere ab obftructis vafis majoribus fanguine plethorico refertis, qui fanari poterit repetitis venæ fectionibus : talis fuiffe videtur Marafmus ille, quem curabat Hippocr. fanguine ægrum ferme exhauriendo iteratis venæ fectionibus.

(*b*) Cuidam tumor inflammatorius ad ani confinia derepentè gangrænofus fiebat; illico prodierunt fudores ingentiffimi, debilitantes fummoperè, qui, evacuatâ fanie putridâ, fubitò remittebant, & gangrænæ dumtaxat omni metu abacto, prorfus ceffabant.

(*c*) Hales hæmaftatic. exper. 2a.

(*d*) Celeb. Fizes, cap. 10. de Feb.

17. Foffæ

17. Fossæ temporum, maxillarium ossium, cavitates orbitarum in sceleto apparentes ad lævorem reducuntur musculis, adipe, integumentis, eas replentibus in vivo & eusarco: docet Anatome.

COROLLARIA.

Ex (11.) discemus, cur in Marasmo pulsus sit parvus & debilis; ex (12.) cur vires musculares prosternantur; ex (13. 14.) cur Marasmo affecti sudoribus diffluant. Ex (15.) cur exacerbetur febris ab assumpto nutrimento; tunc temporis enim, adauctâ humorum copiâ novi chyli adventu, resistentiam cordi oppositam intendi necessum erit. Nos docebit (16) unde fiat, ut de calore acri adeo sæpe querantur Marasmo detenti, & cur præcipuè calor ille mordax excitetur in volis manuum & plantis pedum, ubi textum partium duriorem minúsque perspirabilem esse norunt omnes. Tandem ex (17.) liquebit, undenam in Marasmo, veluti colliquatis adipe, musculis, cutis ossibus infixa ferme det faciei Hippocraticæ tetrum conspectum.

THERAPEIA MARASMI.

18. Sublatis causis, morbos inde pendentes tolli certum est: & quantúm fieri potest imminutâ earum energiâ, illos imminui pariter necessum fit: indè liquet ex perspectis causis Marasmum inducentibus, peti debere indicationes curatorias, quæ vergent eó, ut vel tollantur illæ penitus, si fieri possit, vel saltem activitas earum imminuatur.

19. Itaque, si viru venereo productus fuerit morbus, incipiens adhucdum, viribus satis integris, frictiones mercuriales convenient. Si scorbutica causa fuerit; antiscorbutica, sed iis, quæ acrimoniam vigentem demulceant, prudenter maritata. Si scrophulosa lues glandulis insederit, aut quocumque alio modo obstruantur viscera, diluentia, demulcentia, aperientia leviter, proderunt. Si cancerosa humorum indoles extiterit, solis demulcentibus insistendum erit.

20. Si febris lenta, symptomatica, Marasmum inducat; demulcentia, lacticinia, juscula ex pullis junioribus seminibus quatuor frigidis infarctis, femoribus ranarum, testudinibus, intermixtis pro re nata stomachicis & purgantibus levioribus, hypnoticis prudenter adhibendis, multum levaminis æger percipiet.

21. In deplorato morbi casu, analepticis, coctu facilibus, diætâ pleniori, cibo frequentiús de die assumpto ex iis, quæ facilè non putrescunt, sed blandum chylum suppeditant, misera ægri vita protrahetur, &, quod arti licebit, præstabitur.

Sic Marasmi theoria & therapeia exponitur, quanùtm ferunt arcti theseos cancelli.

QUÆSTIO SEXTA.

Assignare diversas Hydropis abdominalis species, earumque theoriam & therapeiam exponere.

1. HYDROPS abdominalis dicitur morbus ille, in quo liquidis coacervatis inflatum tumet abdomen.

2. Hujus Hydropis variæ species assignandæ sunt, earumque theoria & therapeia exponendæ: quod ut methodicè fiat, sequentia notanda sunt.

3. Abdominis cavitatem propriè dictam terminat undequaque peritonæum verè membranaceum, a Douglassio accuratissimè descriptum, abdominalibus musculis, diaphragmati, lumbaribus vertebris, ossibus innominatis, ossi sacro &c, intermedio textu cellulari connexum.

4. Quæ partes intra cavam hanc membranam (3) hærent, in abdominis cavo sitæ sunt; quibus verò dumtaxat involucrum cellulosum impertit eadem, extra illud repositæ dicuntur: inde Anatomes perito liquebit, quænam in abdomine contineantur, quænam extra ipsum locentur: quod cognitum supponetur deinceps.

5. Liquida coacervari possunt in variis locis, abdominalem Hydropem efformatura: etenim evidens est vel illa intra cavum peritonæum, vel inter convexum idem & musculos circumjectos, congeri posse: inde prima divisio Hydropum abdominalium sobolescit: Ascitem vocant, qui pendet a fluidis contentis peritonæo cavo; Hydropis peritonæi nomen obtinuit ille, qui debetur liquoribus sub musculis immediatè congestis.

6. Iterum, vel fluida Asciten producentia, effusa stagnant in abdominis cavitate, vel propriis inclusa capsulis enormiter dilatatis, tumorem faciunt abdominalem: in primo casu, ascitem simpliciter dictum constituunt; in secundo saccatum Hydropem seu Ascitem exhibent.

7. Tandem pro diversa indole liquorum stagnantium, variæ statuuntur species, sed minùs præcipuæ: hinc Ascites lacteus, urinosus, serosus agnoscuntur. Præcipuarum specierum historiam, postea theoriam & therapeiam exponemus.

8. Hydrops peritonæi cognoscitur peculiari circumscriptione tu-

moris, habito respectu ad reliquas abdominis partes, lentâ coacervatione humoris Hydropem gignentis, præsertim in initiis, urinæ excretione non imminutâ, absentiâ pedum œdematis, tandem satis diu constante sanitate, absque alio incommodo præter illud, quod ab adaucto ventris volumine necessarió producitur (*a*): mulieres huic potissimùm Hydropis speciei magis obnoxiæ videntur quàm viri; tres, quas potuimus colligere, tum ex actis Academiæ Parisiensis, tum varios plurimosque authores pervolvendo, mulieres affecere; & ex iis binas propter suppressum fluxum menstruum, aut intempestivè retenta lochia: observationum paucitas docet morbi vel observatorum raritatem.

9. Ascites simplex designatur uniformi ventris distentione, pedibus œdematosis (*b*), urinis paucissimis, rubris, fluctuatione persensâ, dum palma manûs, ægro stante vel sedente, aut cruribus flexis decumbente, alteri abdominis ejus lateri imponitur, alterâ vero manu venter in opposito latere, modicè aliquoties repetitis ictibus, percutitur, respiratione difficili, tussi. Schirri hepatis, lienis, glandularum mesentericarum, febres intermittentes diutinæ nimio & intempestivo Kinæ Kinæ aut calefacientium usu curatæ, evacuationes suppressæ, nimiæ, scabies retropulsa, liquores ardentes pluries morbo, de quo agitur, ansam dedere. Qui senes affligit, a tumoribus duris viscerum exortus, inveteratus, difficilem, imó raram curationem suscipit.

10. Ascitica (9) abdominis distentio, morbi diuturnitas absque ullo gravi incommodo, œdematis pedum defectus, quocumque in situ versetur, abdomen ejusdem figuræ tenax, urinæ solitâ quantitate profluentes, sunt primaria signa Ascitis saccati, qui puellis & uxoratis ferme proprius (*c*), ovario præter naturam in iis intumescenti debetur, aut in viris, omenti turgescentibus adiposis globulis striatim dispositis(*d*), prout ritè perpensæ observationes suadere videntur: quæ postrema causa nil impedit, quominus etiam in sequiori sexu locum habeat. Eadem, quæ reliquis speciebus (8. 9.) inducendis paria sunt, hanc

(*a*) Littr. Chomel. Mem. de l'Acad. 1707. & 1728. Meekren observ. Med. Chirurg. Lubenter tamen crederem plures Hydropes, qui sanati fuerunt aquis vel urinâ per umbilicum emissis, fuisse veros Hydropes peritonæi.

(*b*) Nisi forte contigerit vasorum majorum parietes aliquatenus induruisse pressioni minùs obnoxios; quod vidit Littr. in Hydrope Ascitico, quem nullus tumor pedum comitatus fuerat in actis Acad. Paris.

(*c*) Duverney acta Acad. Paris.

(*d*) Huc referri possunt hydatides, tumores saccati varii, qui Hydropes produxere, sed qui potissimùm videntur locum habuisse vel in ovario, vel in omento.

quoque producere possunt, quibus addi potest imprudens & temeraria obstetricum diligentia. (*a*)

11. Ab ovario intumescente eam (10) inductam fuisse scitur, si cum reliquis signis (10) insuper constiterit tumorem ab hypogastrii lateribus exordium duxisse, deinde sensim crevisse, ferme ut in gravidis solet abdomen intumescere, absque ullo gravi incommodo; absentia mox dictorum cum reliquis (10) ducere possunt ad suspicandam omenti labem; a quacumque causa producatur, semper difficilé curatur.

12. Aquæ hydropicorum extractæ, quó plús recedunt a naturali indole, colore, odore, sapore, aut consistentiâ, eò minor spes curationis affulget: quibus, post eductas aquas ex abdomine, urinæ paucæ, rubræ adhuc fluunt, versantur in summo periculo: qui, post paracenthesim institutam, sine causa manifesta inquieti fiunt, ut plurimùm pereunt; quamvis, operatione peractâ meliús sese habuerint (*b*)

13. Ligato venæ cavæ trunco supra diaphragma in cane, oblanguet valde canis & intra paucas horas expirabit; in dissecti autem abdomine magna seri quantitas innatare conspicietur, non aliter quàm si Ascite diu laborasset, vidit Lowerus.

14. Ligatis venis jugularibus in cane, partes omnes supra ligaturam mirè intumescebant, cute a partibus tumefactis separatâ, musculi omnes & glandulæ sero limpidissimo distentæ, & admodúm pellucidæ apparebant: observavit idem Lowerus.

15. Ad cavitates corporis, sive magnas, ut thoracis, abdominis; sive parvas, ut glandularum, vesicularum, cellularum &c, terminantur arteriæ, subtilissimâ propagine tenuissimum fluidum exhalantes, & ex earumdem parietibus membranaceis debere admitti orientia vasa bibula liquidum absorptum revehentia, suadet ratio & analogia.

16. Si fistulæ devehentes copiam majorem liquidi detulerint, quàm potuit resorberi, evidens est liquorem sensim congerendum esse: porro id accidere posse duplici modo liquet, vel quia amplianttur excretorii, cæteris paribus, vel quia impediuntur inhalantes ductus: concursui utriusque causæ, tantó majorem effectum adscribendum fore per se patet.

17. Ruptis vasis lymphaticis intra cavitatem quamlibet hiantibus, lympham in ea cavitate congerendam esse perspicuum est: & si cavitates parvæ fuerint, membranis distractilibus ornatæ, illas esse ampliandas magis magisque tum ratio tum sensus evincunt.

(*a*) Prostat obser. in act. Anglic. tom. 2. pag. 196. Hydropis ovarii sinistri, quem excitàrat obstetrix imprudens, nimis violenter placentam trahendo.

(*b*) Hæc omnia, ex Duverneyo depromuntur, loco supra citato.

18. Systema

18. Syſtema vaſorum ſanguineorum, lymphaticorum ſyſtemati continuum eſt, & plura vaſa lymphatica venoſa terminantur in venas ſanguineas ; illud Anatome demonſtravit (*a*) in uvea manifeſtiſſimè, & ratio analogicè admittet facilè ubique idem fieri.

19. Vaſorum lymphaticorum maxima pars tendit ad Glandulas hinc & inde diſperſas, ſimplices, conglobatas, quæ actione ſuâ muſculari, quàm plurimùm favent lymphæ progreſſui.

20. Sanguis quieſcens ſponte inſpiſſatur, & tunc ſenſim abit, maximam partem, in ſerum per minima vaſa fluxui aptiſſimum.

21. Vis vitæ magna requiritur, ut ex chylo paretur ſanguis ruber & debitâ conſiſtentiâ præditus; probat ratio, demonſtratur ex comparatione factâ ſanguinis ex viri robuſti venis emiſſi, cum eo, quem fundit vena tuſa in puella debiliſſima chlorotica.

22. Arteriæ epigaſtricæ recurrentes textui cellulari peritonæi ramos impertiunt, & eas inter & uterinas ſicut & mammarias anaſtomoſes obſervantur.

23. Corol. Ex definitione (1) cùm Hydrops abdominalis ſit morbus, in quo liquidis coacervatis inflatum tumet abdomen, & varias ejus ſpecies exhibeant (8. 9. 10.) hæc fluida vel effuſa, vel coercita adhucdum intra proprias capſulas, ſed enormiter dilatatas; evidens eſt cauſam proximam Hydropis abdominalis eſſe hanc fluidorum coacervationem, ſive intra cavitatem abdominis, ſive intra textum cellularem peritonæi effuſorum, aut tandem proprias ſuas capſulas veſiculaſve coercentes mole ſuâ perpetuò auctâ diſtendentium.

24. Veſiculæ Malpighianæ ſero ſuo turgeſcentes propter aliquam ex cauſis (16. 17.) dabunt Aſcitem ſaccatum ab ovario, quique ſitum illius noſcet, facilè deprehendet rationem phænomenorum, quibus ille ſpeciatim cognoſcitur (11): eædem cauſæ locum habentes in molliſſimis cellulis globulos adipoſos ſtriatim diſpoſitos in omento coercentibus, facili operâ gignent hunc morbum ab omenti vitio productum & cognoſcendum (11).

25. vaſa lymphatica rupta in abdomine, curſus venæ portarum ſanguinis inhibitus, preſſa vena cava, moles viſceris cujuſvis adaucta præter modum, facilè concipientur inducere, ex (13. 14.) cauſam proximam Aſcitis ſimplicis.

26. Sanguinis uberior copia delata per arterias epigaſtricas, obſtructo utero aut mammis conſtrictis, ad collaterales ramos, (22) textum cellularem peritonæi irrorantes videntur produxiſſe Hydropes peritonæi obſervatos; ſi unum exceperis, & quidem ratione ex (16)

(*a*) Clariſſimus Ferrein.

deducendâ facillimè: præterea curſus ſanguinis, lymphæ, olei tenuis; iiſdem impedimentis eſt obnoxius in hac parte ac in cæteris corporis humani locis (*a*).

27. Quâ ratione tumores ſchirroſi glandularum, viſcerum, circuitus humorum tardior factus propter plethoram, aut inſpiſſationem a liquoribus ardentibus productam, evacuationes nimiæ vires ſubtrahentes, Hydropum cauſæ remotæ, experientiâ demonſtrante, frequentiùs exiſtant, diſcetur ex (18. 19. 13. 14. 21.)

28. Fluidum coercitum parietibus membranaceis vel omenti cellularum, vel ovarii veſicularum, non premit ſubjectas venas; effuſum autem intra cavum abdominis premit neceſſariò: docet leviſſima attentio: ergo tumor œdematoſus, potiſſimùm oriundus ex ea preſſione (13. 14.) non apparebit in Aſcite ſaccato, ſed conſpicuus erit in Aſcite ſimplici (*b*), Aſcites ſaccati lentè procedunt (11.) & increſcunt; Aſcites ſimplices promptiſſimè; ergo non niſi parciſſimâ copiâ ſimul, imminuetur lymphæ aqueæ transfluentis copia in prioribus, citiſſimè verò in poſterioribus; unde, his datis, urinæ paucæ; illis verò, ſolitâ ſenſibiliter quantitate fluentes: adde, quód in Aſcite ſimplici, effuſis lymphis premantur renes, vaſa renalia ſubjecta peritonæo, neutiquam verò id fiat in Hydrope ſaccato. Lympha coercita, quamvís lentum, ſemper aliqualem habet circuitum, & renovatur utcumque: non item effuſa & ſtagnans. Igitur multò diutius abſque gravi incommodo poterit Aſcites ſaccatus perſtare quàm ſimplex: adde lentiorem progreſſum morbi unius, & celeritatem alterius; ſitis Aſciticos ſimpliciter, vexat præcipuè propter acrimoniam putridam lymphæ ſtagnantis, eidem cauſæ tuſſis tribuetur, explicanda facilè, dum concipietur delata ſic peccans lympha ad veſiculas bronchiales &c: difficultas reſpirandi à labe viſcerum induratorum ſchirroſorum videtur præcipuè repetenda; quamvís non negemus, molem ipſarummet aquarum, ſuam quoque habere partem in explicatione hujus phænomeni. Aquis putrefactis viſcera corrumpi, diſſolvi mortem ferme ineluctabilem ſequi debere evidentiſſimum eſt: unde præcipua ratio periculi, imò & difficilis curationis Hydropicorum petenda eſt.

29. Ad Hydropis peritonæi curationem feliciter ineundam primaria indicatio vergit eò, ut evacuato liquore peritonæum inter & muſculos ſtagnante, deterſiſque ſedimentis, quæ humor ille depoſuit in iiſce locis iterum peritonæum cum muſculis agglutinetur; educitur liquor, aperturâ factâ in ima parte tumoris, ſicque expeditâ viâ de-

(*a*) Inſtante tempore menſtruationis, adaugebatur intumeſcentia abdominis, annotante Meekren, qui exinde firmat, quod poſt ipſum dicimus in hoc paragraph.

(*b*) Vid notam 2am.

clivi, quâ fluere possit: sedimenta auferentur injectionibus detersivis, vulnerariis; hocque bino præstito, spleniis fasciâ convenienti contentis, promovebitur expectata peritonæi, & musculorum adhæsio. Alias cautelas proponit Littrius (a), ex quo prorsus illam curationem excerpimus, quâ adhibitâ, Clarissimus Chomel hanc speciem semel prosperè curavit. Interim cogitandum erit Medico de recidiva præcavenda, præscriptis ad causam remotam debellandam idoneis remediis.

30. Si vires ægri bonæ fuerint, Ascites simplex, non inveteratus, serum exundans morbi causa fuerit, hydragogis, emeticis, purgantibus, diureticis calidis fortioribus, deinde chalybeatis prudenter adhibitis, tentanda erit curatio: quippe in iis circumstantiis indicationes huc collineant, ut, evacuatis aquis effusis, præcaveatur facilè rediturus Hydrops vasa roborando. Si obstructa fuerint, indurata schirro viscera, temperamentum siccum, vires non bene steterint in debili corpore, tunc ad diuretica calida quidem sed mitiora diluentibus mixta, leviter aperientia, demulcentia, deveniendum erit. Si neque per sedem neque per urinas via possit parari aquis quotidie mole crescentibus, & summam molestiam inferentibus, tunc modó vires tulerint, paracenthesis erit ex arte instituenda, cujus ope prudenter evacuatâ lymphâ stagnante, detectâ causâ remotâ proegumenâ, totus erit Medicus in ea debellanda, si fieri possit.

31. Tandem saccatus Ascites ab ovario, primùm cognitus, curabitur admotis externè resolventibus, internè assumptis, quæ causæ morbi profligandæ signis suis cognitæ idonea prudens Medicus judicabit. Crescente invitis remediis tumore, (quod & dici debet de eo, quem fecit omentum vitiatum) paracenthesis institui debet, clavo triangulari, fistulâ ampliori immisso, ut minùs facilè obstrui possit liquoribus spissis, ut plurimùm, in hac circumstantia prodeuntibus; & operatione pro casûs exigentia iteratâ, destrui poterit, & auferri causa Hydropem producens, & morbus ad felicem sanationem perduci idoneis remediis, quæ prudentia Medici seliget aptata profligandis causis morbificis proegumenis & procatarticis.

Plura dici vetant arctissimi theseos limites, plura tamen dicenda superesse non fugit: adeo vastus fuit disserendi campus, quem pro modulo expatiati sumus, assignando breviter varias & præcipuas species Hydropis abdominalis, & earum theoriam & therapeiam exponendo.

(a) Turundam scilicet immittit in aperturam arte factam, quousque peritonæi agglutinatio facta fuerit; & proponit methodum, quâ sanari possint ulcera, si qua forté reperiuntur infestasse partes læsas. 1707.

QUÆSTIO SEPTIMA.

AN sit aliquod signum pathognomonicum Febris, & quale sit?

1. UT ut Febris morbus frequens adeo à Medicis observetur, interea tamen neque de notis ejus characteristicis constat apud eos, neque de ejus essentia Celeb. Fizes, tract. de febr. pag. 1ª.

2. Hinc patet, quantùm operæ pretium sit, omnibus animi nervis contendere, ut signum ejus verè pathognomonicum, saltem minùs periculosè fallax, si res aliter fieri nequeat, indagetur & exponatur.

3. Phænomenum audit, id omne, quod in sensus incurrit, vel inde quàm proximè deductum. Boërh. instit. parag. 875.

4. Phænomenum dicitur signum, quando ex eo lege justi ratiocinii demonstratur præsentia alicujus latentis. Boërh. ibidem.

5. In morbis autem designandis id signum, quod proprium est morbo & ab eo inseparabile, utpote ex ejus naturâ ortum, vocatur pathognomonicum.

6. Calor præter naturam è corde in corpus effusus, Febrem designabat apud antiquiores Medicos (vid. Fernel.): unde ignis nomine eum morbum appellabant.

7. Recentiores quàm plures, non tam signum quàm essentiam Febris, causam hujus proximam, suis definitionibus tradidere; sic Willis. Bellin.

8. Tandem multis placuit frequentiam pulsûs præternaturalem adhibere pro signo Febris pathognomonico.

9. Dissentiunt nonnulli, statuuntque Febrem agnoscendam esse, quoties vis cordis, ad vim constantem musculorum voluntati subditorum ratio major est quàm in statu sanitatis.

10. Cúm morbi signum pathognomonicum ab eo sit inseparabile (5.) constetque, in Febribus quibusdam malignis, in principio accessuum intermittentium, calorem corporis nedum excedere, quin & multò minorem observari, quamvís Febrim adesse tunc omnes practici asseverent, ideo factum fuit, ut jamdudum exoleverit definitio Febris ab antiquis tradita. (6.)

11. Neque firmiori talo stare videtur eorum opinio, qui frequentiam pulsûs præternaturalem credunt esse signum Febris pathognomonicum.

12. Nam observationes multiplices experientiâ quotidianâ firmatæ, invictè

(*a*) invictè docent in febribus malignis pluribus, ſaltem in initiis, pulſum non eſſe frequentiorem quàm in ſtatu naturali, imó quandoque rariorem deprehendi: tamen illi morbi recenſentur in claſſe febrium ab omnibus Medicis; itaque luce meridianâ clarius fit, vel nullo fundamento antiquorum ſententiam exoleviſſe, vel pari omnino recentiorum memoratam opinionem corruere. (confer. 10.)

13. Ubi animadvertere erit, quòd error ex illorum definitione febris exſurgens periculoſiſſimus ſit, cùm hujus definitionis (8) legibus addicti, ſæpe agnoſcere nequeant febres malignas plures ſatis frequentet graſſantes, nec proinde ipſis medelam tempeſtivè afferre.

14. Unde, tum quia febris aliquando exiſtit ſine frequentia præternaturali, tum maximè quia plenus periculi error in praxi ſoboleſcere poteſt, frequentiam illam præternaturalem pro ſigno febris pathognomonico habere non poterimus.

15. Ergo aliud quærendum eſt vel univerſaliſſimum, ſi fieri poſſit, vel univerſalius ſaltem quàm hactenus a Medicis fuit traditum, vel ad minimum, quod in errores adeo funeſtos, minùs in praxi exercitatos tyrones conjicere non poſſit.

16. Porro rem ſedulò undique verſanti & animo veritatis ſtudioſo perpendenti videtur ſignum pathognomonium febris (9) aliis allatis anteponendum; ſive ſpectes univerſalitatem, ſive ad periculum attendas, quod ex eo admiſſo fluere poteſt collatum cum eo, quod ſpontè naſcitur, recentiorum opinione (8) pro rata habitâ.

17. Supponit quidem hæc definitio plura cognita, ſcilicet: 1°. Quid veniat intelligendum nomine vis muſculorum conſtantis, 2°. Quânam ratione menſurari queat tum vis cordis, tum vis muſculorum conſtans, 3°. Quomodó poſſint inter ſe comparari, 4°. Quænam ſit ratio vis cordis ad vim muſculorum conſtantem in ſtatu ſanitatis. porro hæc omnia vel leviter attendenti facili negotio liquere poſſunt.

18. Etenim vis conſtans muſculorum voluntati ſubditorum dicetur

(*a*) In febribus malignis pulſus aliquando à ſe ipſo parùm aut nihil mutatus... cur autem pulſus perſtet *immutatus*, alii aliud cauſantur, Menjot de feb. malig. pag. 34. ibidem ex profeſſo aggreditur explicationem hujuſce phænomeni, ſcilicet *immutati* pulsûs, quod ergo pro certo ipſi habitum fuiſſe nemo ſeriò negare poteſt. Raymond. Fortis habet obſervationem febris malignæ pag. 60. in qua vix in pulſu inæqualitas percepta, velocitate, tarditate, frequentiâ & raritate, ſanorum pulſibus alioqui ſimili.

Dom. Chaptal eximius practicus in hac urbe mihi aſſeruit à ſe obſervatos undecim ægrotantes febre malignâ in una domo, quorum decem deliri pulſum *rariorem* quàm eſt in ſtatu naturali præ ſe ferebant: alter, cui pulſus vividior erat & frequentior, interiit, aliis ſuperſtitibus; idem noviſſimè obſervavit febrem tritæophiam malignam, in qua pulſus *rarus* obſervabatur. Alienas obſervationes cito, quia propriæ, quamvis non deſint, tamen ſuſpectæ eſſe poſſent.

ea, quam nutu voluntatis exercent, aut exercere queunt *cum facilitate.*

19. Quæ mensurabitur ratione compositâ vis actualis, quæ repræsentatur per effectus actuales præstitos, aut præstandos interno sensu judice, & potentialis, quam cognoscere potest unusquisque facilitate, quâ vim actualem sibi conscius est a se posse exeri.

20. Vis cordis æstimanda erit ex mole sanguinis in vasa projecti, velocitate, quâ projicitur, & resistentiis superatis. 1o. Moles proximè, & quantùm sufficit in usus medicos, pulsûs magnitudine. 2o. Velocitas multiplicatis per se magnitudine & frequentiâ (*a*) pulsûs, 3o. Resistentiæ ex quantitate sanguinis permanentis, hujus indole variâ magis minùsve fluxili, & perpensis affrictuum legibus generalibus, tandem ex renitentia vasorum perspectâ cognoscentur, & signa tradunt Semeiotici.

21. Cognitâ mensurâ vis cordis, & musculorum constantis energiæ, inter se possunt componi, & earum ratio detecta in statu morboso potest comparari cum earum ratione in statu naturali, per observationes compertâ: hoc evidentissimum est.

22. Intra sanitatis limites, viribus circulationis crescentibus, vis quoque constans muscularis perpetuò augescit, decrescente circulationis energiâ, decrescit pariter musculorum constans robur: docet observatio quotidiana.

23. Ex (18. 19. 20. 21. 22.) patet omnia, quæ supponit præcognita signum pathognomonicum (9.), revera cognosci posse.

24. Non tamen in hisce computationibus expectanda est præcisè geometrica determinatio; sicuti neque exposci posset à recentionibus ut determinarent, quisnam sit frequentiæ gradus, quocum frequentia pulsûs morbosi conferri queat. Illud enim sicut impossibile esse novimus, ita non absolutè necessarium probè perspicimus; veniam petemus ergo, dabimusque vicissim.

25. Nullus est morbus, quem practici febrim appellant, in quo non agnoverint aut agnoscere potuerint rationem vis cordis ad vim constantem musculorum voluntati subditorum majorem esse quàm in statu sanitatis.

26. Ut vitetur omnis error, attendendum est rationem inter vires vitales & musculares posse mutari diversimodè, servatis tamen conditionibus in propositione (25.) allatis.

27. Etenim id fiet, 1o. Manentibus iisdem musculorum viribus,

(*a*) Clarissimus Sauvages parag. 10. in dissert. hæmastaticæ annexâ, velocitatem pulsûs metitur intervallis parietum arteriæ ab axe dimotorum intra idem tempus; ibi nequidem cogitat de pulsûs frequentia determinanda, unde minùs exactè ab eo dissentit Clariss. Brendel. in dissertatione de pulsû febrili, quasi Professor eximius citatus frequentiam mensurasset ex intervallis parietum ab axe dimotorum intra idem tempus.

si vis vitalis habito ad sanitatem respectu creverit. 2°. Decrescente motûs muscularis energiâ, interim adauctâ aut saltem perstante vi cordis, qualis in sanis observatur. 3°. Adauctis & cordis & musculorum viribus, ita tamen ut in minori ratione crescant posteriores quàm priores. 4°. Imminutâ cordis & musculorum energiâ, sed priori fractâ minori ratione quàm posteriori.

28. Ex dictis (25.) patet perpetuò observari in febrientibus majorem rationem vis cordis ad constantem vim musculorum voluntati subditorum, quàm in sanis: ergo hæc ratio perspecta est a febre inseparabilis.

29. Hæc ratio phænomenum est, nam ex sensibilibus proximè deducitur (confer 4. & 18. 19. 20. 21. &c.)

30. Dato, non concesso, Phrenitides observari quasdam, in quibus hæc ratio non ita clarè pateat; tamen violentia morbi symptomatis validis cognoscenda satis moneret, quid timendum, quid agendum esset; unde levis error quoad sequelas exoriretur.

31. COROLLAR. Ex (28. 29) clarè deducitur rationem assignatam (9) esse signum febri proprium, ab eo inseparabile, & proinde signum pathognomonicum hujus habendum esse, saltem longè universalius esse, & minùs periculosis erroribus obnoxium.

Unde breviter quidem & pauló obscuriùs (tamen facilè condonandi, quód circa illud argumentum fusè jam scripserimus, illudque pro modulo dilucidaverimus) concludimus.

Ergo Febris datur signum pathognomonicum, & illud est, vis cordis ratio ad vim constantem musculorum voluntati subditorum sic turbata, ut in morboso statu major sit quàm observari solet in statu sanitatis.

QUÆSTIO OCTAVA.

Cur fœtus in utero contentus, urinas nec alvinas fæces ejiciat?

1. HOminis rudimenta, in ovulo muliebri compendiosissimè sita, accedente seminis masculini aurâ subtilissimâ, mirabili, nec adhucdum explicatâ efficaciâ, sensim sensimque evolvuntur in dies; ovulum membranis suis constans embryonem includentibus turgescit, expanditur, & perfracto, aut dehiscente circumpositi corporis lutei,

ſpongioſo textu, demittitur in circumamplexam tunc temporis ovarium tubam Fallopianam, & ad uterum pervenit.

2. Ibi primis diebus ſuccis maternis ſubtiliſſimis intra cavum uteri affuſis, abſorptis per vaſa extima membranarum hiantia in earum ſuperficie, à vaſis umbilicalibus embryonis prodeuntia, ille nutritur. Hujus membranæ augeſcunt; exterior, quâ parte fundo uteri reſpondet, craſſeſcit, abit in ſpongioſam molem placentiformem, ex cujus extima ſuperficie, vaſa tenerrima pullulantia ſinubus uteri materni reſpondentia, inde hauriunt liquorem, primis ſaltem menſibus lacteum, qui per innumerabiles venulas tandem in unam venam umbilicalem terminatas confuſus cum proprio ſanguine fœtûs (ad eas venas per arterias umbilicales tranſmiſſo) unà cum ipſo reduce fertur ad ſinum venæ portarum.

3. Ex hoc ſinu venæ portarum, tum rectà per ramos illius tum ductu venoſo in cavam refunditur, & ad auriculam dextram pervenit foramine ovali pertuſam, ſanguinemque per cavam advectum æqualiter diſtribuente ad cordis ventriculos.

4. Ex cordis dextro ventriculo ſanguis actus in arteriam pulmonalem non liberè patulam (propter extremos ſuos ductus complicatos collapſis pulmonibus) pulmones parvâ copiâ ſubit, & divertitur ad aortam mediante canali arterioſo, quem provida natura locavit medium aortam inter & pulmonarem arteriam: hâc viâ miſcetur cum ſanguine, quem expulit cordis thalamus ſiniſter, ſicque binorum ventriculorum energiâ propulſus omnes arteriæ aortæ propagines ſubit, arterias umbilicales ingreditur, & iis mediantibus placentam, membranaſque fœtûs irrorat; imó & liquorem amnii interioris membranæ ſuppeditat, unde ex minimis venulis iterum reverſus, in umbilicalem, cavam, cor, viis priùs deſcriptis aut enumeratis.

5. Juxta has leges circulante ſanguine in fœtu, nutritur ille, molem acquirit majorem, in eo, ſicut in adulto, variæ ſecretiones peraguntur; fiſtulæ inteſtinales, ductus choledocus pancreaticum excipiens, fiſtulæ gaſtricæ, glandulæ inteſtinorum & ventriculi mucoſæ, ſuccos effundunt intra tubam inteſtinalem & ventriculum, qui partim reſorbentur per venas lymphatico-lacteas, partim fæculentiores reſtitant in tubo inteſtinali, coacervantur, in molem compinguntur ſubſplendeſcentem nigram, veræ fæcis titulo expurgandam; meconium dicunt.

6. Interim per arterias renales vectus ſanguis ad renes, ibi ſeparat liquorem urinoſum, eò blandiorem, quó fætus origini propior, ſenſim acrem factum, qui per ureteres in veſicam depluit, & ibi coacervandus videtur novimeſtri geſtationis ſpatio.

7. Si paucæ excipiantur obſervationes apud Hallerum citatæ, ſatis conſtat

constat apud Medicos, fœtum intra suas membranas inclusum neutiquam fæces expellere, nec urinam, per urethram saltem, evacuare. Quæritur ratio hujus phænomeni, quæ ex sequentibus erui poterit.

8. Binas inter membranas chorion & amnion, quâ parte chorion placentam internè obvestit, demonstravit Celeb. Albinus membranam allantoidem in fœtu septem hebdomadarum: illa vesicæ oblongatæ similis, & urinariâ vesicâ amplior, fibrillulis laxè adhærebat loco memorato; ad partem lateralem funiculi umbilicalis distinctè urachus conspiciebatur filo tenuiori similis & in allantoidem terminatus. Videantur act. Edimburg. tom. 4. plures authores citat Hallerus idem sentientes circa hujus membranæ existentiam; hanc aliundè suadet admittendam analogia, urachus non minùs in homine quàm in brutis apertus: non dissuadet paucitas observationum, facilè adscribenda tenuitati membranæ, perrumpendæ frequentissimè unà cum reliquis instante partu.

9. Urachum in humano fœtu verum canalem esse, imò diu quandoque cavitatem servare, & penè obliteratam recuperare posse in certis circumstantiis docent sequentes Littrii observationes. Juxta Littrium urachus in humano fœtu tubulus est semilineam crassus (in cujus cavum facili operâ intromittitur seta porcina) ex fundo medio vesicæ urinariæ ortus; binas inter arterias umbilicales medius umbilicum attingit, inde juxta funiculi longitudinem extenditur ad usque cavitatem inter amnion & membranam peculiarem efformatam. Hist. de l'Acad. 1701.

10 Pueri duodecim annorum cadaver aperuit, cui ferme semper urinæ ex umbilico profluxerant; ad interius collum vesicæ notavit carunculam fungosam transitum hâc viâ impedientem, reperit urachum cavum à vesica ad usque umbilicum, lineæ unius & semissis diameter canalis erat. (*a*)

(*a*) Huc appositissimè referri debet pulcherrima observatio, quam mecum litteris humanissimis dudum communicavit Dom. d'Aumont in Academiâ Valentinâ Medicinæ Professor eximius; puer decennis, dum scholas frequentabat assiduò ferme micturiens, sæpissime veniam exeundi efflagitabat à Magistro, qui ratus id fieri temporis inutiliter terendi causâ nolebat ut plurimùm puerum exire scholâ; ille, quantùm potis erat, omni molimine coercebat urinam exiturientem; inde ischuriæ factus obnoxius identidem ingeminanti cum gravissimis symptomatis. Curatæ ischuriæ succedebat injussum urinæ stillicidium ex urethrâ; tunc temporis etiam visæ sunt quædam humoris guttulæ per umibilicum transudasse, & de die in diem notabilior hæc perspiratio fiebat, quæ eò usque crevit, ut tempore, quo videbat eum Dom. d'Aumont, tantùm liquoris redderet per umbilicum puer ille, quantum per urethram, quando manibus venter ipsi premebatur; liquor ille simillimus erat huic qui per urethram excernebatur. Calculo laborabat ille puer admodùm notabili, ut constitit operatione feliciter peractâ. Eumdem ægrotum viderunt unà cum Dom. d'Aumont, Clarissimi Ferrein & Combaluzier. Hæc

11. Peyerus afferit, fe in uracho orificium vidiffe, quod ad aliquot ab umbilico uncias fetam admitteret: vide Haller.

12. fæcum expulfionis caufæ, funt vel determinantes, vel efficientes & difponentes, hæ non agunt nifi determinatæ. Circa caufas urinam expellentes idem fentiendum eft.

13. Caufæ determinantes ad utramque excretionem (12) petuntur tum à quantitate, tum à qualitate acri fæcum & urinæ.

14. In fœtu, quando paulùm diftenditur vefica urinaria, præftò eft urachus [9.] partem hujus deducens maximam ad allantoidem.

15. In fœtu fenfim, lentiffimè congeri poteft meconium, cujus materies viis circulationis defertur ad inteftina & ventriculum (5.) aliunde defectus aeris athmofphærici difficiliorem reddit putrefactionem & acrimoniam.

Corollar. 1um. ex (13.) fequitur ad urinæ expulfionem ex vefica urinaria deficere caufas determinantes.

Corollar. 2um. idem dici poffe de caufis fæcum eliminationem determinantibus, liquet ex (15.)

Corollar. 3um. Ex (12.), caufis determinantibus nullis datis, nulla eft actio caufarum efficientium.

Corollar. 4um. *Ergo fœtus ia utero contentus urinas nec alvinas fæces ejicit, propter defectum caufarum determinantium tales excretiones.*

QUÆSTIO NONA.

AN Emphyfemati fanguinis miffio?

1. AB aere collecto præternaturaliter in quacunque demum corporis parte genitus tumor Emphyfema dicitur apud omnes Medicos generico nomine. Emphyfema fcrotum, tunicas teftium diftendens Pneumatocele; inteftinalem tubam & abdomen inflans, Tympanites audit: tandem magis ftricto fenfu Emphyfema nuncupari videtur, quando habitum exteriorem reliquum corporis occupat. Nemine difcrepante, fedem habet in textu cellulari adipofo cuti fubjecto: de eo potiffimùm hìc quæftio, tum quia de omnibus fpecie-

obfervatio nihil habet, quod minimum explicanti negotium faceffat, fi comparetur cum Littrianâ; unde firmatur realis exiftentia urachi cavi etiam in homine. Fieri tamen poffet, ut quandoque non aperiatur etiam in fœtu propter paucitatem urinæ; fed tunc fub forma meri ligamenti apparet.

bus differi vetant dissertatiunculæ præfigendi limites; tum quia Emphysema propriè dictum videtur respicere propositum problema.

2. Textus ille cellularis adiposus in quibusdam partibus crassior, in aliis tenuior, ubique cellulis constat secum invicem communicantibus; docet Anatome: neque sepimenta quævis disrumpi necessum esse, ut talis observetur communicatio, satis demonstrat horum exemplum, quibus totum corpus prodigiosè intumuit aere ex angusto vulnere thoraci inflicto in reliquas partes diffuso absque doloris excitatione. (*a*)

3. Tumor ille signis sequentibus agnoscitur; pressus digito strepitum quemdam exhibet, cedit facilè, sed, pressione sublatâ, brevi pars depressa ad pristinam libellam restituitur (*b*).

4. Sanguis naturaliter constitutus, ne minimam quidem notam aëris elastici in eo contenti præ se fert; docent experimenta Boerh. Jurin. & Halleri.

5. Tamen in ipso contineri particulas aeris veluti in sua elementas divisas, non sensibiliter elasticas, nisi peculiari causâ in concursum propiorem mutuum coïverint, demonstrant experimenta in machina Boyleana capta; omni enim, quantùm fieri potest, aere extracto è Recipiente, in superficie sanguinis sub eo repositi incipiunt apparere bullulæ aereæ: norunt omnes.

6. Ignis efficacia, motuum intestinorum effectu, aerem extricari posse ex mixtis tum fluidis tum solidissimis, jam notum est Physicis: egregia de iis aeris extrahendi artificiis habet Halæus. stat. des veg.

7. Sanguis ovillus ad quantitatem sex pollicum cubicorum in matratio inclusus, pauxillo aquæ mixtus, putrescens intra octodecim dies, emiserat quatuordecim pollices cubicos aeris: putrefactionis in humano sanguine similes effectus docet analogia; imó demonstrant phlyctenæ emphysematosæ partibus gangrænâ affectis supervenientes, & vapor elasticus impetuosè prorumpens ex iis apertis, uti semel ipsimet vidimus.

8. Aerem hisce motibus intestinis genitum proprietates omnes aëris communis, essentiales saltem, exhibere, probat invictis experimentis Halæus (*c*)

9. Nullam aliam hactenus causam noscimus, quâ possit é fluidis humanis intra corpus vivum consistentibus aër elici, præter motum putrefactionis, nisi fortè exceperis vim incognitam bupreftis, in tumorem emphysematosum illicò corpus attollentis, dum fuit intus assumpta.

(*a*) Mery acta Acad. 1713.
(*b*) Littre act. Acad. Paris 1713.
(*c*) Stat. des veg.

10. Vulneribus inflictis externo corporis habitui (*a*) præcipuè locis thoracis, dum penetrant angusto foramine in ejus cavum, maximè si lædantur pulmones illæsis integumentis, Emphysemata producta fuisse multiplex experientia docuit.

11. In iisce circumstantiis evidens est aerem ab extrinseco illapsum in textus cellulares adiposos communicantes, ubique diffundi posse; (12.) hinc similium Emphysematum ratio satis perspecta habetur.

12. Aliorum verò neutiquam; neque enim sanguis naturaliter constitutus materiem aeream (4.) deponere potest in cellulas adiposas, neque ex eo fluidum elasticum separari potest, nisi motu putrefactorio. (7.)

13. Est & tamen admittendus forsan alius fons aeris elastici in textum cellularem illapsuri, aer scilicet internus thoracicus qui, si causâ quâvis contigerit pleuræ superficiem interiorem erodi aut destrui alicubi, facilè se se insinuare poterit in textus vicinos cellulares, & inde per totum corpus divagari (2.).

14. Ex dictis patebit causam Emphysematis propriè dicti esse ferme semper externam, ut docent observationes, tamen quandoque illud oriri posse, putrescentibus liquoribus in habitu corporis exteriori (*b*), fortè & nasciturum ex causa (13.) assignata, si conditio requisita ibidem locum habuerit.

15. Halitus perspirans ex pulmonibus hominis vivi destruit elasticitatem; quod & verum est de halitu perspirante ex animalium corporibus (*c*).

16. Vini spiritus, imò ipsius vapor, quamvís minùs efficaciter, productionem aeris ex mixtis motu intestino agitatis extricandi (6.) plurimúm inhibet. Côtes leçons de Phys. pag. 331.

17. Ex iis, quæ protulimus, patet, quænam esse possint Emphysematis causæ variæ: si à putredine gangrænosa oriatur, quod facilè gangrænæ signis dignoscetur, tunc spirituosa, antiseptica proderunt; si, quod frequentius est, externæ cuidam causæ debeatur, tunc ampliato vulnere, compressionibus in loco vulnerato factis, blandâ pressione versús illum locum directâ, & quantitas aeris jam ingressi imminuetur, & novi illapsus præcavebitur omni ope atque operâ. Fomentis calidis, spirituosis (16), aromaticis foveri cutem, imò profundis incisionibus factis hinc inde viam pandi debere aeri subtús clauso docent Medico-Chirurgi, nec ea rejicienda auxilia. Verùm non omittendum est egregium remedium, quod felix experientia comprobavit, ratio suadet enixè: scilicet venæ sectio pluries repetita, quæ videtur in iis circumstantiis

(*a*) Vulneribus capitis etenim superveniunt. Platn. Chir.

(*b*) Productio materiei flatuosæ elasticæ, ex aquis Hydropum in abdomine stagnantibus id fieri posse satis evincunt.

(*c*) Halæus stat. des veg.

stantiis

ſtantiis ſummoperè neceſſaria, quia calorem minuit, proinde cauſam aerem rareſacientem tollit; unde multò minor ejus expanſio fit, diſtractionis dolorificæ, inflammatoriæ, gangrænoſæ metus abigitur: iis enim ſic conſtitutis, impedito per artem novo aeris illapſu, qui ſupereſt textu cellulari incluſus, halitibus corporis, queis continuò exponitur (15.) ſolvetur in elementa ſua elaſticitate privata, & reddetur idoneus vel ut perſpiret, vel intra venas ſine incommodo reſorberi poſſit, evaneſcentibus tumore & ejus ſymptomatibus. (*a*)

18. Corollar. Ex (17.) liquet venæ ſectionem repetitam egregiè prodeſſe Emphyſematibus reſolvendis, & quânam ratione, pariter innoteſcit: unde tum ratione, tum præcipuè duce experientiâ rerum magiſtrâ concludimus.

Ergo Emphyſemati venæ ſectio.

QUÆSTIO DECIMA.

CUR præparata mercuriala ad debellandam luem veneream ipſo mercurio debitè extincto minùs valeant: cinnabarina tamen adverſus Epilepſiam, quæ venerea non eſt, magis valeant?

1. VASA quæcumque corporis ſanguinea ſunt propagines arteriæ aortæ & pulmonalis, vel ramificationes venoſæ ſenſim in craſſiores ramos abeuntes, quæ terminantur tandem vel ad ſinum venæ cavæ, vel ad ſinum venæ pulmonalis, paucis Thebeſianis exceptis: docet Anatome.

2. Ex arteriæ ſanguiferæ extremo immediatè, antequam in venam congenerem abeat, oritur vas arterioſum lymphaticum, quod ibi natum, deinceps ramos lymphaticos emittit demum terminatos in venas lymphaticas partim ad ſanguineos ductus venoſos directè, partim ad ſyſtema lymphaticum Bartholinianum lympham ſuam deferentes; hæc ſunt lymphatica primi ordinis, ex quibus alia longè tenuiora ſimili ratione diſtribuenda prodire ſuadent obſervationes Lewenhoekianæ, analogia, & Phyſiologorum omnium conſenſus unanimis.

3. Lues venerea antiquis incognita, circa finem decimi quinti ſæculi graſſata primùm in Italiâ, deinde in omnes Europæ gentes diſ-

(*a*) Claris. Ledran feliciter curavit Emphyſema ortum ex fractis coſtis methodo propoſitâ, abſque ullis applicationibus externorum medicamentorum. Ledran obſ. Chir. tom. 1. pag. 195.

fusa, serpens vi contagiosâ ex affecto in sanum, præcipuè per impurum concubitum, variis signis cognoscitur, affectuum cutaneorum specie in initiis prodiit, deinceps sub omni morbi formâ larvata conspecta est. Dolores osteocopi noctu ingravescentes, spontaneæ lassitudines, prægressi morbi venerei minùs peritè tractati, impurus concubitus præcedens, symptomata varia solitis remediis non cedentia neque tamen ad aliam speciem virûs referenda facilè, ortus ex parentibus eâdem labe infectis, sunt præcipua, quæ ad morbi diagnosim ducunt Medicos.

4. Quænam sit indoles propria hujus luis (3) ignoratur; nihilominùs observationibus certissimum est eâ affici præcipuè lymphaticos humores, proinde gigni obstructiones in vasis minutissimis humani corporis; intra vasa sanguinea nullum videtur energiæ suæ præbere indicium.

5. Specificum adversùs hanc tetram luem hydrargirosis habetur, analogiâ detectum, felicissimis successibus confirmatum, in usus meliores & tutiores adaptatum indefessâ Medicorum omnium, præsertim Monspeliensium, in observando diligentiâ.

6. Jam certissimum est nullâ viâ, nullâ remedii formulâ tutiori, commodiori posse mercurium vasa corporis subire quàm viis cutaneis specie unguenti illitum.

7. Præcipua, imó unica vis specifica mercurii ad debellandam luem veneream in eo videtur posita, quòd constet partibus tenuissimis, facillimè divisibilibus, sphæricis, & interim specificè gravioribus quàm sunt particulæ cujusvis alterius corporis, auro excepto.

8. Inde (7) deducitur ejus mira energia ad subeundos minutissimos canales humani corporis, ad perfringendas ibi concretiones lymphaticas durissimas, quæ luis venereæ symptomatis omnibus præbent originem.

9. Hos tamen effectus egregios non præstat nisi sanguinem valde exagitet, in æstum quasi concitet: unde plures effectus pravissimi suborirentur, nisi ars prudens, victu debito, præparationibus prægressis eos præcaveret, salivationem imprimis, quantùm licet, arcendo.

10. Id enim habet singulare mercurius, ut glandulas salivales afficiat, & versùs superiora impetuosiùs ruat constanti ferè naturæ lege, docet observatio.

11. Præparata quæcumque mercurialia minùs mercurio specificè sunt gravia; non sunt adeo facilè divisibilia in tenuissimas moleculas; aliunde ad vias intestinales perducta, ferme omnia alvum movent, & unà cum excretis per anum feruntur.

Corollar. Unde liquet (7. 8. 11.) cur præparata mercurialia ad debellandam luem veneream minùs valeant ipso mercurio debitè extincto.

12. Epilepsia morbus chronicus per vices recurrens, ab insultibus

Epilepticis cautè diſtinguendus (*a*), deſignatur concuſſione involuntariâ violentâ muſculorum omnium, vel aliquorum, cum ſenſuum internorum externorumque abolitione aut imminutione, motûsque voluntarii privatione (*b*)

13. Idiopathica, eſſentialis, de qua hîc agitur, cerebri vaſorum infarctum cauſam habet proegumenam; ſi fides Celeb. Stalhio aliiſque practicis magni nominis, ſi atttendatur ad energiam medicamentorum, quæ huic debellando morbo paria ſunt (quando ſolidi labes abeſt, nullâ reparabilis arte) quæ omnia medicamenta attenuantia ſunt, certè facillimè inducemur ad exiſtimandum, eo morbo affectis ſanguinem contigiſſe indole admodùm ſpiſſum & glutinoſum, vaſis corticalis ſubſtantiæ debilibus infarciendis aptiſſimum. (*c*)

14. Unde ſequetur medicamina attenuantia quidem requiri ad atterendam hujus morbi efficaciam, verùm quæ nimio impetu ſanguinem non exagitent, protrudantque ad minima ſanguifera cerebri vix ferendo oneri paria, præcipuè quæ vim humorum non determinent ad cerebri tenuia capillamenta, jam vi morbi infarcta tardiùs volventia humores ſuos, & eorum impetu adaucto tenaciùs & promptiùs obſtruenda.

15. Cinnabaris antimonii, vel factitia (quæ exſurgit ex partibus mercurii tribus cum unâ ſulphuris parte liquatis, permixtis, deinde ex arte ſublimatis (*d*)), minùs ſpecificè gravis eſt quàm mercurius (*e*) neque adeo facilé in minimas moleculas abitura; attenuat ergo ſanguinem ſed vis ejus magis ſubſiſtet intra vaſa paulò majora (1) aut lymphatica craſſiora, quibus in locis ſedem figit in cerebro cauſa Epilepſiæ proegumena (13), non tanto impetu humores exagitat,

(*a*) Celebr. Lazerme Profeſſor hujuſce lycæi in tractatu de morbis capitis.

(*b*) Fit & aliquando, ſed rariſſimè, muſculorum mandibulæ ſola convulſio tonica.

(*c*) Quotieſcumque Sthallio videre contigit ſanguinem venæ ſectione detractum epilepticis [qui non manifeſtiùs ab hæreditariâ diſpoſitione, aut ſimpliciùs ab animi pathematibus aut à longâ aſſuetudine, protervam conſuetudinem cooriendi in paroxyſmos præ ſe ferebant] ſemper enormiter hunc ſpiſſum obſervavit, theor. Med. ver. narrat ibidem cuidam epilepticæ plurimis paroxyſmis epilepticis obnoxiæ ſuaſu Medicorum venam mediam ſectam fuiſſe, cùm nihil ſanguinis efflueret, vulnus ampliaſſe Chirurgum; quod etiam cùm ſanguini viam non aperuiſſet, micante ad venæ aperturam tantùm fruſto ſanguinis coagulati, hoc volſellâ arreptum ad digiti longitudinem traxit, quo facto, iter pandebatur cruori ſpiſſo & vix ſemifluido.

Dom. Breſcon Doct. Monſp. in egregio tractatu de Epilepſiâ notat incolas agri Syrtici maximè eſſe obnoxios Epilepſiæ, & hoc credit potiſſimùm fieri, quia illi nutriuntur pane gravi nigro, quem vocant *Milloca*, & in cibum aſſumunt ſpeciem quamdam pultis ex aquâ & fariná milii ſemicoctis factam, & aquas turbidas epotant.

(*d*) Geofroy, Mat. Med.

(*e*) Meuder trait. de l'Ant.

neque ita efficaciter determinat ad vaſa capitis.

16. Unde ratione vis attenuantis, præcipuè intra vaſa adhuc pauló craſſiora ſubſiſtentis Epilepſiæ curandæ plurimùm conducet cinnabaris; & quidem illius uſus periculo vacabit, modò, præmiſſis generalibus, ex arte adminiſtretur.

17. Sed longé alia ratio ipſius mercurii, qui ſanguinem valde exagitando, determinando impetuoſiùs verſús cerebrum (10) malum neceſſariò adaugere debet; niſi ſedem habuerit in minutiſſimis vaſis lymphaticis, lymphâ ibi concretâ, ut credi poteſt id fieri, quando Epilepſia venerea eſt (4)

Corollar. Ex dictis facilè pateſcet cinnabarim in curanda Epilepſia idiopathica, eſſentiali anteponendam eſſe mercurio: & cur, liquebit tum ex prægeſſis, tum ex (17)

Corollar. Aliunde conſtat (11), cur præparata mercurialia minús valeant ad debellandam luem veneream ipſo mercurio debitè extincto.

Ergo jam innoteſcit, cur præparata mercurialia ad debellandam luem veneream ipſo mercurio debitè extincto minùs valeant: cinnabarina tamen adversùs Epilepſiam, quæ venerea non eſt, magis valeant.

QUÆSTIO UNDECIMA.

Presbytiæ theoriam & curam exponere.

1. LUMINIS, colorum, motûs, figuræ, magnitudinis, diſtantiæ corporum perceptio, mediante totius oculi apparatu nata in anima, viſio dicitur; & facultas talia percipiendi viſus appellatur.

2. Retina expanſio tenuiſſima nervi optici, filamentis ſubtiliſſimis (*a*) conſtans, quibus vaſa minima ſanguinea & lymphatica intertexuntur, corpori vitreo circumpoſita ad uſque proceſſuum ciliarium limites poſticos, immediatum eſt viſûs organum.

3. Huic, ejuſdem ſenſûs gratiâ, miniſtrat lens cryſtallina, in ſua capſula ab omni nexu libera, portionibus ſphærarum inæqualium conflata, quarum quæ antica eſt, ad ſphæram ſex linearum diametri; quæ poſtica eſt, ad ſphæram quinque linearum diametri pertinet. obſerv. Petit Med.

(*a*) Ex calculo Dom. De la Hire filamentuli nervei craſſities in retina ſexageſimam & quartam partem fili bombycini vix æquat.

4. Hæc

4. Hæc convexior, mollior in juvenibus, ſimulque pellucidiſſima, creſcente ætate, firmior & planior evadit.

5. Ante lentem cryſtallinam directè pupillæ reſpondentem ſtagnat humor aqueus, pellucidiſſimus, binis cameris uveâ diſtinctis contentus, & maximam partem coercitus ambitu corneæ pellucidæ ſcleroticæ contiguæ, non verò continuatæ (a).

6. Ex ligamento ciliari ſcleroticam à corneâ diſtinguente albeſcente lineâ circulari, retro ad confinia capſulæ cryſtallinæ ambitûs, procedunt fibræ muſculoſæ habitæ, proceſſus ciliares dictæ, quarum agentium ope creditur lentem cryſtallinam cavo vitrei corporis inſidentem, hoc minùs excavato, removeri poſſe à retinâ, illis verò laxatis, reſtitutâ corporis vitrei cavitate, retinæ fieri propiorem.

7. Viſio fit punctis omnibus objecti viſibilis in retina depictis, imagunculam efformantibus objecto ſimillimam.

8. Objecti punctum accuratè pingitur, quando radii luminis ab eo emiſſi, poſt varias refractiones paſſas, iterum uniuntur in eodem puncto retinæ, quod ferit radius principalis id eſt irrefractus, qui concipitur ex eodem objecti puncto rectà tranſmitti ad oculi fundum; & ad cujus extrema refertur poſitio objectorum, hinc in proprio ſitu apparentium, quamvis pingantur inverſa.

9. Locus ille (8) ad quem concurrunt radii ex eodem puncto emiſſi, vocatur focus; & cùm retina, habito reſpectu ad lentem cryſtalinam, poſſit comparari chartæ ponè lentem vitream poſitæ, & radios luminis tranſmiſſos excipienti, quæ demonſtrant Optici de foco radiorum, in eo poſtremo caſu adaptari poterunt iis, quæ locum habent in oculo videntis.

10. Porro lens convexior focum facit propiorem, planior remotiorem. 2o. Objectum propius, focum habet remotiorem; & vice verſâ. Docent Optici.

11. Angulus, quem comprehendunt radii principales ex extremis hinc inde objecti viſibilis punctis, cujus apex in oculi centro concipitur, dicitur angulus viſorius; & eſt menſura objecti magnitudinis, cæteris aliunde paribus.

12. Quando propiùs radiat punctum viſibile in lentem, major ille eſt (11) & vice verſâ: unde ſequitur in tali ſuppoſitione (cæteris paribus) objecti propioris imaginem magis eſſe illuminatam, & vice verſâ.

13. Si tubi optici vitrum oculare maculis & lineamentis atramentoſis hinc & inde fædetur, ad objectum hoc tubulo viſum refe-

(a) Demours acta Acad. Pariſ.

rentur illæ maculæ, & præcipuè, si vitri objectivi apertura exiguissima sit: docet Dom. de la Hire.

14. Qui non possunt videre objecta, nisi remotiora quàm fert visus perfectus, inter unum & tres pedes distantiæ (a) comprehensus, vocantur presbytæ: & vitium visûs in illis vocatur presbytia aut presbyopia, visus senilis.

15. Illis contigit ut plurimùm arctior pupilla; maculas ad objecta referunt varias, permanentes, mobiles, dum oculis fixis intuentur, descendere visas.

16. Cùm corrigant vitium organi removendo objectum ab oculo (quæ conditio focum propiorem facit (10) evidens est in iis eam esse conformationem oculi humorum, ut remotiorem focum faciat: proinde planior lens crystallina, utí fit in senibus (4), planior cornea, rarior eorumdem textus, faciunt causam proximam presbytiæ. Quædam puncta retinæ compressa vicinis vasis, aut quasi paralytica, maculas permanentes dabunt: corpuscula levia, oleosa humori aqueo lenti crystallinæ contiguo innatantia, fortiùs refringentia radios luminis, inde pingentia quædam objecti puncta vividè, circumfusâ umbrâ pendente ab ineptitudine humorum reliquorum ad debitas refractiones præstandas, explicabunt maculas mobiles ad objecta referendas. Confer. Dom. de la Hire tom. 9. act. Acad.

17. Vitra convexa focum faciunt propiorem (10.), cogunt magis radios, & ad certam ab oculo distantiam posita, propiora itaque objectis radiantibus angulum visorium majorem efficiunt, posito quód eam convexitatem habeant, quæ requiritur, ut sic posita medeantur pravæ conformationi oculi presbytæ, quæ varia est in variis presbytis.

Ergo maximè ea vitra, vario pro variis presbytis gradu convexa, visum senilem acuent focum ad debitam distantiam reducendo, objectum majus [præcipuè attendendo ad (15.) efficiendo, tandem vividiús repræsentando.

18. Horum omnium effectuum (17.) rationes patent ex prædictis quæ prout licuit, breviter & dilucidè explicant theoriam & curam presbytiæ.

[a] La Hire act. Acad. tom. 9. distinctè ultra aut infra limites adhuc videmus, sed hoc pendet à peculiari motu oculorum, explicando ex [6.]

QUÆSTIO DUODECIMA.

Respirationis difficultatem & frequentiam explicare.

1. QUÆ majori solito molimine virium inspiratoriarum & expiratoriarum exercitatur respiratio, difficilis: quæ pluries intrà datum tempus ingeminatur, frequens audit apud Medicos.

2. Huc collineant inspiratoriæ vires, ut earum ope thorax amplietur, eo ampliato rarior fiat internus aer thoracicus, minus proinde superficiem pulmonum premat, & exinde sequatur aeris externi per glottidem illapsus in vesiculas pulmonales: illæ enim hoc mechanismo expansæ vasa sanguinea sibi circumjecta explicant, [& expeditiorem sanguinis transitum per pulmones efficiunt; qui primarius est respirationis usus.

3. Vires expiratoriæ in id nituntur, ut ampliatus thorax iterum arctetur, moxque receptus aer è vesiculis eliminetur: evidens est earum energiam viribus inspiratoriis respondere; & proinde iis adauctis, illas intendi quoque necessum esse.

4. quæcumque igitur molimen solitò violentius virium inspiratoriarum accersent (1) difficilem hoc ipso respirationem excitabunt,

5. Porro ex dictis (2) paululùm attendenti liquebit inter ea (4) venire numeranda omnia, quæ expansioni vesicularum pulmonalium facili, hoc est, viribus adhiberi solitis inducendæ, moras nectere poterunt.

6. Sunt autem hujusmodi (5) quàm plurima: etenim 1o. Sanguinis aucta copia, dum vasa distendit ultra consuetos limites, premit magis arctatque vesiculas pulmonales, hinc major resistentia aeri eas expansuro, qui itaque hanc expansionem producere non potis erit, nisi tantò magis solito detrahatur de vi aeris thoracici prementis pulmonum superficiem, quantó plus resistentiæ subortum est ex parte systematis sanguinei; sed vim aeris interni in majori ratione non imminuendam esse satis patet nisi majori thoracis ampliatione, quæ solúm absolvi poterit viribus inspiratoriis adauctis. 2o. Vesicularum constrictio spasmodica, compressio earumdem tuberculis glandulosis circumpositis & similibus, serum luxurians, harum fibras penetrans, intumefaciens, cavitates exinde arctans, eumdem effectum præstabunt eadem de causa (6 1o.). Hinc explicabitur respirandi difficultas in asthmate convulsivo & humido, in chloroticis, cachecticis, in iis, quibus pulmones scatent tuberculis. 3o. Aer levior factus, humidior præsertim, respirationem faciet difficilem, si potissimúm talis subitó evaserit, nam tunc manifestum est non posse pulmones explicari, quin aer internus adhuc rarior factus fuerit, quæ

conditio exigit necessariò ampliorem thoracis dilatationem, quæ si nequeat fieri requisitè, sensus suffocationis, suffocatio ipsa suborietur: undè intelligitur, cur ii, qui præcelsos montes conscendunt, adeo difficilè spiritum trahant, imò versentur in suffocationis periculo, dum ii, qui vivunt horumce cacuminum incolæ, ne minimam quidem respirandi difficultatem experiantur. 4°. Nec dispar admodùm erit ratio quâ fit, ut aere multò densiori respiratio difficilior producatur; siquidem in tali circumstantia evidens est circumpremi thoracem pondere longè ingentiori, unde motus illius laboriosi magis evadunt & consequenter generalis (5) causa respirationis difficilis iterum habere locum deprehenditur.

7. Frequentia respirationis definita (1) desumenda videtur ex duplici causa potissimùm: 1°. Scilicet ex necessitate renovandi aeris, ut usibus respirationis præstandis idoneus sit 2°. Ex virium debilitate. Aer non renovatus, in pulmonibus detentus elasticitate brevi orbatur, exinde ineptus evadit expandendis pulmonibns; præterea ibidem incalescit, & hâc ratione sanguinis calori temperando impar fit; unde liquet necessitas renovationis, quæ non nisi ingeminatâ, repetitâ respirationis vice fieri potest. Hinc edocemur, cur in febribus inflammatoriis potissimúm, Peripneumonia, Pleuritide, Anginosis morbis, exercitio valido calefactis corporibus, frequens respiratio observetur.

Vires debiles, tum absolutè, tum relativè neque magnam, neque constantem actionem exercere queunt; unde, illis sic perstantibus, necessum est, vires inspiratorias vix in actum positas ab opere veluti cessare, mox, brevissimo temporis intervallo relicto, iterum ad munia præstanda accingi, suadente, imò urgente respirandi necessitate. Hinc fit, ut in iis circumstantiis parva simul & crebra respiratio.

Hujus difficultatem & frequentiam, non quidem prout rei dignitas expostulabat, sed prout tulerunt angustissimi temporis & theseos limites aliquatenus delibavimus: utinam satis sit videri potuisse summa, ut ut leviter, capita perstringere.

ERRATA.

PAG. 8. lin. 5. 15 leg. (15).
Pag. 19. lin. 29. *membra affecta*, leg. membro affecto.
Pag. 22. lin. 12. *vulnere*, leg. vulnera.
Pag. 24. lin. 19. *constituorum*, leg. constitutorum.
Pag. 28. lin. 22. *tenniorem*, leg. tenuiorem.
Pag. 29. *quanutm*, leg. quantúm.
Pag. 38. post sanitatis add. neque ullus est morbus in quo sic turbetur ratio prædicta in quo febrim adesse non dicatur.
Pag. 42. *id utero*, leg. in utero.
Pag. 43. lin. 16. *elementas*, leg. elementa.



EXAMEN

ANIMADVERSIONUM CLARISSIMI PETIOT,

IN PARERGON DE ANEURYSMATE, CONSCRIPTUM

A FRANCISCO LAMURE.

NISI calumniarum plenæ forent Antagonistæ strenuissimi animadversiones, me prorsùs omni responsione abstinuissem ; adeò sunt parvi momenti, adeò rudi indigestâque citationum mole jacent obruta, quæcumque protulit ille vir optimus : Verùm quantò finxit audentiùs ea, quæ vix ac ne vix quidem (præ summâ, quæ debetur Senatui iatrico Monspeliensi, reverentiâ) fingi potuisse quivis crederet, tantò urgentiús impellor ad scribendum denuò, ne prolatorum ab Adversario falsitas, me silente, veritatis larvam adaptet sibi, & impunè, celata, per orbem medicum divagetur. Potissimùm itaque fabulosam à Competitore datam disputationis historiam breviter perstringere fert animus, & deinde nactus occasionem, quædam, unde vis animadversionum adversús me institutarum tutò mensurari queat, paucissimis subjiciam.

Feror *coactus* (animad. pag. 12.) *in secunda prælectione abdicare, quæ in prima prælectione tantoperè jactitabam* ; in tertia fateri me compilasse, me plagii reum agit egregius Antagonista (pag. 10.) *Dum novam multòque accuratiorem* gloriabar *Aneurysmatis theoriam exhibiturus ; quam tamen*, inquit ille (pag. 11.) *verè à verbo ad verbum excerpseram , uti notum est omnibus* ; *imò integram prælectionem* ab Hallero transcripsisse dicor (pag. 11. in not.) *agebam de monstris & herniis* Tandem redarguor quasi dixissem uspiam Aneurysma, (de quo Ruysch. thes. non.) *fuisse sanguinem contentum & conclusum intra capsulam.*

Hisce omnibus seorsim & eodem, quo proposita sunt, ordine respondeo.

I.

Nuspiam abdicavi in secunda prælectione, quæ in prima *ad praxim summoperè utilia , imò necessaria habui* . (pag. animad. 10.)

Tradıturus ideam morbi generalem in prima lectione, sigillatim exponebam varia circa illud argumentum authorum placita, quid in iis utile & verum, inutile aut minùs exactum pro viribus determinare satagens; tandem

præ omnibus aliis morbi definitionibus, Fernelianam mihi arridere dixi; quâ nimirùm statuitur morbum esse affectum insidentem parti contra naturam; hâc ægritudinis ideâ stabilitâ, divisiones Pathologiæ ab omnibus receptissimas, in Schola etiam Monspeliensi, protuli, & juxta eas tota prælectionum series disposita est: non ergo novam methodum proposui, cujus factâ recensione (pag. 10.) *monere potuerit* Adversarius *eam praxi ac sanæ theoriæ penitùs esse adversam*; equidem in medium attuleram morborum distinctionem in activos & passivos, quam dedere summi in arte viri; sed nuspiam affectiones hystericas, melancholicas, hypochondriacas, recensui inter morbos passivos, pro quorum exemplo, icterum frigidum citavi; insuper quid ex ea divisione boni, quid mali, si minùs cautè intelligeretur, suboriri possit, indicavi, illi itaque prorsùs non adhærens; dum eam distinctionem verbo tenus, non rationum momentis impugnavit Adversarius, minimè ex re credidi tempus terere in asserenda sententia, cui non adstipulatus fueram; ideò in secunda prælectione monui duntaxat, me nullatenùs adhæsisse huic morborum divisioni, quam impugnaverat Antagonista egregius, & proindè me hujus monitis neutiquam lacessitum fuisse; quo præstito, juxta ordinem institutum egi de morbis partium solidarum, inter quos cùm numerari soleant ii, qui dicuntur esse *in meatu*, nactus occasionem de Aneurysmate & Varice disserui.

Quæ mox dicta sunt verissima perpendenti bonâ fide liquebit 1°. Quâ veritatis specie prolatum fuerit me coactum fuisse *in secunda abdicare, quæ in prima prælectione tantoperè jactitabam* (pag. 12.) 2°. An dici *queam subitò deseruisse, quæ necessaria nuperrimè habueram, ut ad alia transirem, Aneurysmatis theoriam novam exhibiturus* (pag. 10.) cæterùm nullius ad praxim addictionem damnavi, sed solummodò eos sum demiratus, qui, dùm arctissimum theoriam inter & praxim connubium statuerunt, tamen in theoriâ impunè peccari posse credebant, si hos inter numerandus sit Antagonista, ipsum lacessivi, neque in tali hypothesi, facti pænitet.

II.

De Aneurysmate acturus, structuram arteriæ, qualis à Celeber. Monroo proposita fuerat, exhibui, authorem citando fidelissimè hâcque præsuppositâ contendi 1°. Distinctionem vulgarem Aneurysmatis in verum & falsum inutilem esse in praxi, quia nullum assignari poterat Aneurysmatis veri signum pathognomonicum, quod vel ipse Adversarius fateri coactus fuit in publicis disputationibus. 2°. Nullam prostare observationem Aneurysmi veri, qui fuisset notabilis, unde satis liquebat à me admitti, qui forent exigui. 3°. Cum Clarissimo Monroo (*a*) monui nequis deciperetur inter observandum accipiendo pro tunica musculari arteriarum vel plevram in thorace, vel aponevrosim bicipitalem in brachio; & tales dum animadverterentur tu-

(*a*) Edimbourg. pag. 356.

mores vel in abdomine à peritonæo mutuati involucrum externum, vel in thorace à plevra, dixi non ineptè eos vocari posse Anevrysmata clausa, à veris juxtà sensum vulgarem diversissima; mecum sentientes citavi omnes ferè antiquos ad usque tempora Fernelii, inter recentiores Freindium, & Clarissimum Monroum. Jam in prima lectione monueram me nihil pro novo & inaudito prolaturum in toto Pathologiæ decursu, hunc in finem ut omnis plagii accusatio hoc monito devitaretur, sed votis excidi; conscendens postea Cathedram Adversarius, quæcumque de Aneurysmate protuleram, ex actis Edimburgensibus à verbo ad verbum ex scripta asserit, librum ostentat furti testem, me increpat, quasi dixissem totam hanc Aneurysmatis theoriam novam esse, & meam; nihilominùs pollicetur se hujus falsitatem demonstraturum in sequentibus prælectionibus. Ego ad hæc brevissimè regero, quando data fuit differendi copia, me varios authores citasse, nominatim Celeberrimum Monroum, qui mecum sentirent, insuper me jam in prima lectione palam fecisse nihil à me expectandum, quod novitatem saperet; negavi tamen præfractè me acta Edimburgica exscripisse de verbo ad verbum; & quidquid dicat Antagonista (pag. 11.) ne minimum dicterium responsioni interspersi, nisi forte voluerit de se dicta fuisse, quæ de me sincero animo & modestè, ut decet, pronunciâram, tunc rogavi publicè judices integerrimos librum ab Adversario citatum perlegerent, & quid de plagii crimine sentiendum esset, manifestum facerent; illi viri peroptimi noluerunt hanc disputationem longiùs protrahi, & enixè monuerunt de fine hujuscemodi litibus imponendo, nequè hanc circumstantiam potuit ignorare Competitor egregius, cui ipsi æquè ac mihi silentium imperatum fuit; tamen aliquo post tempore, de Aneurysmate differens Antagonista, vera & falsa admittit, citatque sibi faventes Ruyschium, Littrium, Heisterum, & Morgagnum, admodum vagè & indeterminatè; ego, ne viderer minùs quàm deceret, Professorum Illustrissimorum monitis morigerus, nolui in sequenti mea lectione, Adversarii præcedentem perstringere, sed distuli quousque argumentum pertractandum spontè locum faceret huic disputationi; itaque elapsis aliquot diebus de palpitatione differui, & inter causas cùm annumerarem Aneurysmata, indicavi observationes omnes, quæ reperiebantur apud authores ab Antagonista citatos, & affirmavi inter eas nullam esse, quæ verum Aneurysma demonstraret; hâc assertione motus Adversarius, Ruyschii lectionem instituit, sed quo Adversùs me successu docent, quæ jamdudum scripsi (pag. 26. 27. Vindic.) & quæ hìc repetere prorsùs abs re foret.

Ex dictis liqueat 1o. Quo jure dici potuerim inventâ Aneurysmatis theoriâ falsò superbiens, & plagii reus agi coram Professoribus illustrissimis. 2o. An non facilem & simplicem viam pro tam gravi accusatione refutanda indicatam ab Adversario (pag. 11. not.) secutus fuerim; quam quidem accusationem potuisset egregiè confirmare ipse legendo librum, quod præstandum tantò potiùs erat, quia negaveram, & ipsi asserenti probatio incumbebat.

Cur Adverſarius phraſim unicam citat. (pag. 10. not.) quam a me tranſlatam contendit, ut evincat quæcumque per tres horæ quadrantes ſatis rapido ſermone prolata ſunt, exſcripta fuiſſe. 3o. Tandem patebit cur ex tempore veritatem, quam ſtabilire enixus fuerat (pag. 11.) impugnare noluerim. 4o. An quæ dixi de Aneuryſmate clauſo, haberi queant velut ſubterfugium, quod quæſiverim ut Adverſarii obſervationibus reſponderem (v. pag. animad. 8. not.)

III.

Integram prælectionem ex Hallero tranſcripſiſſe dicor (pag. 11. not.) dúm agebam de monſtris & herniis, facilis reſponſio, nullam prælectionem inſtitui de monſtris & herniis; quædam, pauciſſima, curſim, de iis attuli; dum de morbis in magnitudine, numero, conformatione, ſitu, loquendi occaſio ſe ſe obtulit, & præter judices integerrimos, Adverſario opponam teſtem idoneum (*a*) illuſtriſſimum, qui doctus ſermones omnium ſcientiæ linguarum, rudioribus Apollinis noſtri tonis benevolas aures adaptare non renuit, eo ipſiſſimo tempore, quo hæc de monſtris & herniis nonnulla proferebam; coram ipſo de iiſce argumentis quàm pauca dixerim, noſcit ille vir præſtantiſſimus, quem bonis omnibus flebilem, morbo graviſſimo detentum nuperrimè tota Occitania ingemuit, mox omni ſinceriſſimæ lætitiæ plauſu gaudet orci diris faucibus ereptum,

Cui pudor & juſtitiæ ſoror
Incorrupta fides, nudaque veritas
Quando ullum invenient parem?

VI.

Nuſpiam dixi Aneuryſma eſſe *ſanguinem contentum & concluſum intra capſulam* (pag. animad. 11.) id ſolummodò propugnavi poſſe credi hunc tumorem a Ruyſchio obſervatum, fuiſſe confectum ex ſanguine coagulato & indurato, cui ſuperaccreviſſet plevra dorſalis, tantòque veriſimiliús, quòd vix capi poſſet, quomodò, ſi tumor ille plenus extitiſſet ſanguine fluido, aut ſaltem vi vitæ non indurato, tamdiu ſervaretur immunis a putredine *in capſulâ*: reſpondet quidem Adverſarius (pag. 9) *non eſſe ſanguinem in eo Aneuryſmate, quod Ruyſchius conſervabat in capſulâ ſeu pixide, eſſe arteriam ſimpliciter dilatatam, & juxta methodum Ruyſchianam præparatam.* Verùm id aſſerit, neutiquam probat; legatur obſervatio hæc Ruyſchii vel in opuſculo egregii Antagoniſtæ (pag. 8. not.) Et ſi quis, hâc lectâ, queat concludere certò. 1o. Vel adfuiſſe vel defuiſſe ſanguinem in eo Aneuryſmate. 2o. Illud fuiſſe arteriam ſimpliciter dilatatam & methodo Ruyſchianâ præparatam. 3o. A Ruyſchio ſcrupuloſè animadverſum, an aliqualis eſſet ruptio in hâc arteriâ, necnè, ut affirmat Competitor eximius (pag. 9.) Si quis, inquam, hæc deducere poſſit ex Ruyſchii verbis prolatis, do lubens victas

(*a*) M. Le Nain Intendant du Languedoc.

manus, & ipſe mihi erit magnus Apollo: quouſque hæc demonſtrata fuerint, pace optimi Antagoniſtæ credam nihil adversùs ſententiam à me propugnatam ex theſauro nono Ruyſchii afferri potuiſſe; quæ cùm ita ſint, dùm objiciebatur capſulam, in quâ Aneuryſma conſervabatur, fuiſſe in muſæo Ruyſchiano, meritò reſpondi, *riſum teneatis amici*; & cùm objectionem illam typis mandaverit ille vir egregius, iterum appoſitè reſpondeo, riſum teneatis amici, & miror Antagoniſtæ confidentiam, qui in re tam abſurda, tam manifeſtè falsò imputata, magna cum fiducia provocat ad judices integerrimos: horum utinam in omnibus, æquè, ac in iſto caſu, ſecurus decretum expectare fas eſſet.

Jam ex dictis palam fiet quænam fides adhibenda ſit brevi hiſtoriæ diſputationis ab Antagoniſtâ traditæ, peneſque ſit lectorem judicem an jure dixerit ille, ſe in iis ſemper juxta ſtatutam diſputationis normam direxiſſe. Nunc ego pauciſſimis examini ſubjiciam, quæ in parergon de Aneuryſmate animadvertit.

V.

Aliquid abſurdi contendit Antagoniſta ſequi ex methodo, cujus ope, vocem, (notabilis) determinare ſatago; Geometricè probat vel ſupra omnem fidem ingentia Aneuryſmata admitti debere, vel exiliſſima pro notabilibus habenda eſſe.

Si bonâ fide verba perpendiſſet eximius Competitor, quibus aliquatenùs idæam notabilis Aneuryſmi tento circumſcribere, næ, multo labori peperciſſet, ſuamque in Geometricis ignorantiam non oſtendiſſet (*a*) Etenim palam fit attendenti, me minimè ſollicitum fuiſſe de Geometricâ determinatione, cùm eam ſolummodò quærerem, quæ paulò eſſet exactior quàm alia nimis vaga, prætereà termini, quibus utor ad ſenſa exprimenda, non ſunt ad normam Geometriæ compoſiti, ſed vulgi vel craſſiſſimi intelligentiæ accomodati, uti cuivis non moroſo lectori, & earum rerum perito, facilè innoteſcet, verùm quia rem per ſe manifeſtam æquivocatione commentitiâ obſcurare anniſus eſt egregius Antagoniſta, ideò clariùs, quid intellexerim, reponam; igitur ſuppono, v. g. dictum fuiſſe Aneuryſma notabile in arteriâ intercoſtali, quod æquaret ovum columbinum, & magnitudinem arteriæ illius naturalem eſſe ut unum, (*b*) Tunc ſupponendo aortam in ſtatu conſueto poſitam eſſe duodecies majorem, requiretur, ut Aneuryſma in eâ obſervandum dicatur notabile, illud duodecies majus eſſe ovo columbino. Porrò talia Aneuryſmata dari poſſe, imò data fuiſſe docent innumeræ obſervationes.

(*a*) Enim verò quamvis vix prima Geometriæ elementa delibarim, ſatis agnoſco, quàm debeat apud Geometras abſurda videri ſectionum menſura, per pollices, & pedes ſimplos, in quem tyroni non ignoſcendum errorem incidit turpiter Antagoniſta. [pag. 2. animad.]

[*b*] Qui Geometriæ aliquam operam non dedere, confundunt voces magnitudinis & diametri, quibuſcum nunc loquor.

VI.

Quærit (pag. 7.) quo consilio Clarissimum Vansvvieten citaverim, qui tantoperè mihi adversatur, in promptu responsio; nimirúm ut constaret tunicam illam Aneurysmatis citati extimam, non fuisse aortam suis omnibus membranis constantem, sed duntaxat *hujus dilatatæ* membranam, quod expressissimis verbis habet Vansvvieten, vel fatente Adversario; numquam citavi virum illum clarissimum tanquam meæ faventem opinioni de Aneurysmatibus; quamvis fortè non tantùm ab ea abludat, quantúm sibi fingit Adversarius, nam videtur fermè agnoscere necessitatem separatæ cohæsionis fibrarum orbicularium, ut fiat Aneurysma verum in arteriis, *Si jam in quodam arteriæ loco separatâ cohæsione imprimis fibrarum orbicularium (nam læsiones tunicæ externæ & cellulosæ videntur minùs periculosæ) minuatur firmitas laterum, causa distendens manens eadem illo in loco plus dilatabit arteriam, mutabit æquabilem figuram conici canalis, expandet locum illum debilitatum in saccum, tunc vocatur Aneurysma verum, propriâ vocabuli vi designans tantùm arteriæ dilatationem.* comment. aphoris. t. 1. pag. 361. hæc clarissimi viri verba si quis contulerit cum iis, quæ dixi (pag. 26. vindic.) *nullam observationem adversùs me quidquam confecturam, nisi quæ demonstrabit externam Aneurysmatici tumoris tunicam esse evidenter compositam fibris annularibus* facilè perspiciet in plerisque saltem Aneurysmatibus veris dictis (judice Clarissimo Vansvvieten) non esse integram tunicam muscularem, & consequenter ea, juxta Clariss. Monroi sententiam, quam amplexus sum, pro veris, in quibus simplex adsit arteriæ tunicarum dilatatio, neutiquam admittenda.

VII.

Demùm varias coacervat citationes plerùmque nullâ fide, nullo ordine, nihil ad rem prorsús conducentes; quod ut pateat, revocet lector in animum, conditionem, quam expostulavimus (pag. 26. Vindic.) ut opinionis nostræ veritas infirmaretur, scilicet, integritatem tunicæ muscularis circumjectæ tumori Aneurysmatico, deinde conferat omnes omninò observationes, (si Vateriana excipiatur) quas congerit Adversarius, is deprehendet facillimè nullam esse, quæ vel minimum desideratæ conditionis vestigium præ se ferat autopsiâ confirmatum; quod attinet ad Aneurysma observatum a Vatero, memorat quidem vir ille celeberrimus tunicam internam *ubivis disruptam, tunicæ exteriori musculosæ frustulatim connexam*; sed ne verbum profert de integritate hujusce tunicæ musculosæ; ita ut quivis credere possit, nec immeritò, hanc fuisse duntaxat conspicuam in iis, locis in quibus frustula internæ membranæ fulciebat, quod tantò potiori jure credendum, quòd truncum arteriæ aortæ maximè laceratum fuisse referat, & obstupescat, quomodò arteriarum læsione tam gravi, tantâque dilaceratione existentibus, tamdiu & ultra triennium æger superesse potuerit, cujus quidem admirationis minima videretur ratio, si duntaxat externæ membranæ ruptæ fuissent, quarum dis-

ruptionem vidimus a Clariss. Vansvvieten existimari vix sufficientem ad Aneurysmatis productionem (VI.)

Citat minùs exactè Littrii observationes, cur enim, dùm eam refert, quæ actis Academ. 1707. continetur, hæc omittit à Littrio notata? *je separai la tumeur du cou, des clavicules, & des parties exterieures de la poitrine*, ELLE ETOIT ENCORE FORT ADHERENTE DANS LES ENDROITS, *qui touchoient aux côtes, au sternum & aux clavicules*, OU ELLE ETOIT RONGE'E ET LES OS CARIE'S: cur non monet ibidem, rationes, quas affert Littrius, ut explicet diversam crassitiem tunicæ interioris sacci Aneurysmatici, non autopsiâ fulciri, sed duntaxat conjectationes esse ejusdem viri clarissimi? sicque confundit perperam, quæ fuerunt verè observata, cum iis, quæ sola ratiocinatio protulit ad explicanda Phænomena.

Quâ diligentiâ fidevè omisit circumstantiam notabilem observationis, quæ legitur in actis Academ. 1712? *Enfin, les parois de cet Anevrysme formoient en dedans deux especes de cordon, l'un étoit situé vers sa partie moyenne, il étoit de couleur rougeâtre, épais d'une ligne, & il ne décrivoit que les trois quarts de la circonference; l'autre cordon étoit placé à la partie inferieure, sa couleur étoit blanche, il étoit beaucoup plus dur que le premier, épais de deux lignes & faisoit le tour entier de l'Anevrysme, à l'endroit de ces deux cordons l'Anevrysme étoit moins gros qu'aux environs, & il y faisoit une espece d'étranglement.* Quid, amabo, erant illi funiculi, nisi fibræ quædam orbiculares arteriæ, quæ, cùm efficaciùs sustinuissent impetum sanguinis, integræ aut fermè integræ permanserant, dilatationem arteriæ tantam impedientes, quanta conspiciebatur in viciniis, quarum fibræ orbiculares destructæ penitùs fuerant efficaciâ causæ tumorem producentis? quæ quidem circumstantia benè perpensa docebit evidentissimè quid factum fuerit in aliis Aneurysmatibus ingentissimis, in queis non observati fuerunt tales funiculi, hinc indè iis circumjecti.

Asserit (pag. 3.) Dominum Nichols in actis Anglicanis demonstrare verorum Aneurysmatum existentiam; tamen, vel si legantur, quæ ex eo Authore profert Antagonista (ibidem) patebit luculentissimè tantùm hìc agi de possibilitate similium tumorum, quam nullatenùs negavi; vidit quidem Dominus Nichols, magnas dilatationes aortæ, sed, quænam fuerit conditio membranarum in iisce casibus, prorsùs silet; imò videtur existimare nobiscum in Aneurysmatibus solvi cohæsionem tunicæ musculosæ, & speciatim in Aneurysmate, quod jussu Societatis Londinensis examinavit privatim & publicè; inducor ad existimandum, inquit vir ille eximius, in hoc Aneurysmate, tumorem genitum fuisse sanguine propulso trans ligamentosam membranam, quæ vulgò dicitur muscularis, & distendente aliam exteriorem tunicam (*a*) membraneam.

[*a*] J am induced to think that this Anevrysm is a tumour formed by blood's, being forced throug the ligamentous, or what is called the muscular coat, and distending the membranous, or outer one transac. philos. Tom. 2. pag. 113.

Dicit apud Paræum & Riverium fieri mentionem de arteriæ tunica interiori integra, verùm legantur binæ observationes Riverii ab Adversario citatæ (pag. 13.) nulla ibi deprehenditur mentio tunicæ internæ præcisè; Paræus narrat antequàm tumor Aneurysmaticus cultello anatomico subjectus fuisset, arteriam crepuisse, & effudisse sanguinem intra cavum thoracis; quomodò dici potest observasse tunicam integram, quæ necessariò priùs aperta fuerat ad extravasationem sanguinis?

Citat observationem Clarissimi Duvernoy (pag. 14.) quæ habetur in Actis Academiæ Petropol. tomo sexto, & contendit virum clarissimum *reperisse tunicam internam, dissecuisse à tunica carnea*; quis, si fidem Adversario adhiberet, evidentissimè hâc observatione demonstratum non crederet, Aneurysmum musculari membranâ cinctum? sed ipsum audiamus Clariss. Authorem; observatur *in diversis locis substantiæ (Aneurysmatis dissecti) incrassatio monticulos efficiens, quorum alii angustiores & figuræ oblongæ, alii digiti latitudinem æquantes membranâ communi cavum obvestiente obducti, quâ detractâ, fibrarum invicem compactarum, & vi distendente forsan abruptarum, hincque contractarum agmen esse perspexi*: erant ergò ii monticuli conflati ex agmine fibrarum invicem compactarum vi distendente forsan abruptarum, & hinc veluti in glomeramina contractarum: in eo igitur Aneurysmate non observabatur tunica carnea integra, sed contrà disrupta; quo itaque consilio hanc observationem adeò mancè protulit Adversarius? *numquid* (pag. 3.) *ea citandi ratio decet veritatis defensorem*? Dijudicent periti lectores, ipse viderit egregius Antagonista. Nimius essem, si penitiùs vellem & seorsim examinare citationes alias, quæ aliundè nullius sunt momenti, cæterùm ut evincam me in hac disputatione solo veritatis studio a tritis viis deflexisse, si pertinaciter voluerit eximius Competitor Aneurysmata, quæ formantur a sanguine adhucdùm concluso intra membranam extimam arteriæ, non musculosam, vocari Aneurysmata vera, ut ipsi morem geram, admittam hoc sensu Aneurysmata vera sed tunc concedat mihi æquum est, talia non posse observari in iisce locis, in quibus arteriæ carent hâc tunicâ extimâ, uti in artubus v. g. unde pro veris accipiendo, quæ clausa rectiùs vocanda duxi, neutiquam asseri poterit existentia Aneurysmi veri in arteria v. g. brachiali, quod utrùm concedant ii, qui vera Aneurysmata admittunt, haud satis scio; nihilominùs ultrà progredi non possum, quousque felix observatio demonstraverit tumorem Aneurysmaticum propriâ suâ membranâ musculari integrâ præcinctum, quod hactenùs non fuit præstitum.

